



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ

Moine, Joseph

Solodori, 1714

Liber I. De prima parte Eloquentiæ, seu de Inventione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68834)



TYROCINIUM ARTIS ORATORIAE.

LIBER I.

De prima parte Eloquentiae
seu de Inventione.

CAPUT I.

*De iis, quae artem oratoriam
universim concernunt.*

I.



Uis est finis artis oratoriae? Resp. Cum hac sit ars bene dicendi, sive ars optimis sententijs verbisque lectissimis dicendo persuadendi Auditores, finis ipsius est,

Finis artis oratoriae.

dictione persuadere imprimis Intellectum audientium allatis rationibus, ut credant, verum esse, quod Orator in sua Propositione affirmavit; ac deinde Voluntatem, ut illud etiam velint. Hæc duo sibi præfixa esse Orator meminerit, ut suo munere debitè fungatur,

A

II.

Quid & quotuplex propositio.

II. Quid & quotuplex est Propositio oratoria? Resp. Propositio est Quæstio, argumentum, propositum, scopus totius orationis, ad quem rationibus stabiliendum, & voluntati inculcandum, reliquæ ipsius partes referuntur. Duplex autem principaliter est Propositio seu Quæstio: *Infinita*, græcè *Thesis*, qua quæritur aliquid in genere, Ut: *An virtus præset Arti?* & *Finita*, græcè *Hypothesis*, qua quæritur aliquid cum adjunctis particularibus, seu circumstantijs, ut vocant, V. G. *An virtus liberalitatis possit exerceri etiam à pauperibus?* Ubi vides circumstantias virtutis particularis, & determinatæ hominum speciei. Utraque rursus hæc Quæstio potest esse meræ *Cognitionis*, seu *Speculativa*, cujus finis est præcisè aliquid cognoscere, Ut: *Plùsne passus sit Christus in corpore, an in animo?* Vel *Actionis*, seu *Practica*, cujus finis est opus, sive actio, Ut: *An frequenter sumenda sit SS. Eucharistia?* Debent autem Propositiones orationum, præcipuè sacrarum, ordinariè esse finitæ & practicae, aut, si sint infinitæ & speculativæ, per decursum orationis reduci ad particularia adjuncta & actionem, alioquin modicam utilitatem habent. Frustra E. G. terribilia quævis rationum pondera, & SS. PP. ac Conciliorum sententiæ afferuntur ad demonstrandam necessitatem Pœnitentiæ in genere, nisi ostendatur, qualis, quo modo

do

DE INVENTIONE. 3

do &c. fit agenda. Neque ipsi Auditores ita genericè proposita sibi ad actus particulares solent applicare. Quàm iisdem tædiosa quoque fit talis generica gravissimarum Fidei veritatum tractatio, quisque fortassis, qui talia audivit, suâ experientiâ didicit. Cavendum tamen, ne in ejusmodi applicatione ita descendatur ad personas particulares, ut designari ac traduci videantur. Præcipuè verò vitandum, ne Magistratus, seu sacri seu profani, etiam tacitè solùm, reprehendi ac fugillari existimentur. Placent hæc reprehensiones quandoque plebi; sed dici non potest, quot damna generent.

III. Quot sunt Orationum genera, in quibus dictæ Quæstiones instituuntur? Quot sint genera orationum.
 Resp. Communiter tria nominantur: *Judiciale*, *Deliberativum*, & *Exornativum*. In primo accusamus aut defendimus, in secundo suademus vel dissuademus, in tertio laudamus vel vituperamus. Est, qui orationes sacras ad alia tria dicendi genera revocet: ad *Instructivum*, quo rudes docentur Fidei Mysteria, ut fit in iis, quibus Sacramentorum dignitas, usus &c. explicantur, aut controversiæ Fidei contra hæreticos agitantur; *Morale*, quo virtutes & earum exercitium particulare suadentur, aut vitia dissuadentur; *Exornativum*, quo laudes alicujus Sancti exponuntur.

Primariæ
partes Elo-
quentiæ.

IV. Quæ sunt primariæ partes Eloquentiæ? Resp. Quinque: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronuntiatio. *Inventio* est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ probabilem reddant Propositionem Orationis; & verborum, ad res exprimendas idoneorum. Per *res* hîc primariò intelliguntur argumenta, secundariò verò cætera, in sequentibus hujus Libri capitibus afferenda: per *verba* ornatus orationis. *Dispositio* est rerum inventarum in ordinem distributio. *Elocutio* est idoneorum verborum ac sententiarum ad res inventas accommodatio, pro sermonis elegantia & audientium delectatione. *Memoria* est singularum orationis partium firma & ordinata recordatio. *Pronuntiatio* est Vocis ac Gestûs in proferenda oratione cum dignitate moderatio. Atque istæ quinque partes hoc & sequentibus deinceps Libris explanabuntur.

Quæ faciant
bonum ora-
torem.

V. Quænam juvant, ut quis bonus O-rator evadat? Resp. Quatuor. *Natura*, seu commoda aliqua eloquentia naturalis; *Ars*, quæ naturalem facundiam per sua præcepta dirigit & excolit, ut meditata & ordinata dicendo certiùs vincamus; *Exercitatio*, in singulis primò seorsum orationis partibus, ac postmodum integris orationibus privatim componendis ac pronuntiandis, antequam aliquis publicè dicat ad populum.

lum. Laudatur in privato hoc exercitio imitatio Ciceronis in affini aliquo argumento, cujusmodi multa suppeditat Masenius in sua Palæstra Oratoria; postremò denique *imitatio* præstantiorum Oratorum, quos legimus vel audivimus, à singulis aliqua meliora discendo, putà ab aliquibus artificum Inventionis, ab aliis Dispositionem, ab aliis Actionem &c: modò id curemus, ne nimia quorundam admiratione decepti vitia imitemur.

CAPUT II.

De partibus orationis generatim, quæ inveniri debent.

I. **Q**uid primum debet orator invenire? Quid initio invenien-
 Resp. Nisi jam aliunde habeat si- dum.
 bi præfixum statum Quæstionis, sicut contingit in Causis forensibus, hunc procul dubio, velut scopum habendæ orationis, ante omnia quærere debet. Idque maxime in Concionibus sacris, ubi plerumque liberum est Oratori, argumentum eligere. Ut verò quæstio inventa meliùs tractetur, statim initio diligenter considerandum venit, in quo consistat ipsius *Crinomenon*, sive Crinomenon.
 id, circa quod iudicium Auditorum præ- non.
 cipuè occupabitur. Istud Crinomenon a-
 liquan-

liquando idem est cum Propositione orationis, aliàs ab ea distinguitur. Idem cum ipsa est, quando hæc non habet unum aliquod argumentum principale, cui tanquam fundamento innititur, sed plura. Distinguitur Crinomenon à Propositione, quando hæc innititur uni tali primario argumento: tunc enim Crinomenon consistit in applicatione hujus argumenti ad statum quæstionis. Ut in Orat. Cic. pro Mil. Propositio est: *Milo jure occidit Clodium*. Argumentum unicum primarium, in quo Crinomenon consistit, est: *Quia Clodius infidatus est Miloni*. Hoc enimvero probandum erat, ab hoc demonstrato victoria illius causæ pendebat, huc attentio & judicium Auditorum potissimum ferebatur, ut judicent, Clodium jure fuisse occisum à Milone.

Unde petenda Propositio.

II. Unde petitur Quæstio sive Propositio Orationis? Resp. In orationibus generis Deliberativi & Exornativi, de quibus præcipuè & ferè unicè, ob causam inferiùs dandam, loquar, faciendum est discrimen. In concionibus sacris, quibus ex consuetudine præmittitur Lectio Evangelii illius diei, plerique sumunt locum aliquem ejusdem Evangelii, vel alium Sacrae Scripturæ, ex quo deinde occasionem doctrinæ moralis, vel Laudis alicujus Sancti, deducunt. Hunc locum Scripturæ interdum orator ipse sibi eligit, tanquam magis idone-

idoneum materiæ, quam declarare statuit; aliàs locus ipse materiã suggerit. In orationibus verò Funebribus & aliis panegyricis, quibus non præmittitur sententia ex Sacris Litteris, aliunde propositionem orationis concipere oportebit. Modum & has & illas inveniendi dictabit sedula lectio & meditatio, ex quibus adjuvante ingenio prodibunt propositiones, quarum methodum & exempla suo loco adducam.

III. Inventâ propositione quid ulterius inveniendum? Resp. Reliquæ partes orationis omnes quidem, sed ordine, quem subjungo. Cùm oratoris sit persuadere dictione; persuadere autem sit movere imprimis Intellectum, ut credat, esse verum, quod dicitur, & per hunc Voluntatem, cui Intellectus est instar oculi, invenienda sunt 1. Argumenta, quæ faciant fidem, seu moveant intellectum. 2. Argumentationes argumentorum. 3. Amplificatio rerum pro ulteriore motu voluntatis. 4. Affectus ejusdem. 5. Partes primariæ orationis, videlicet Exordium, Narratio, si qua sit opus, Confirmatio, Confutatio, Epilogus. 6. Amplificatio verborum, de qua infra. 7. Ornatus Elocutionis, cujus tamen postrema sit cura, primaria verò ipsarum rerum, contrà quàm non pauci hodie factitant, qui cùm toti sint in exquirendo cultu verborum, & comenda dictione, argumenta neglectim habent.

Inventio partium orationis.

habent. Itaque aures movent ad oblectationem, at nequaquam intellectum, multò minùs tangunt voluntatem.

Argumentum quid.

IV. Quid est Argumentum? Resp. Est ratio inventa ad faciendam fidem, hoc est, ad movendum Intellectum, ut credat, verum esse, quod affirmatur in Propositione orationis.

Quotuplex.

V. Quotuplicia sunt hujusmodi argumenta? Resp. Triplicia. Certa, probabilia, dubia, sed tamen verisimilia.

Certum.

VI. Quænam habentur pro certis? Resp. 1. Quæ sunt lumine naturæ nota, ut, esse Deum &c. 2. Quæ sensibus percipiuntur. 3. Quæ communi opinione sunt probata, ut, Parentes esse honorandos. 4. Quæ legibus cauta sunt, & usu recepta. 5. Quæ à SS. Litteris aut ab Ecclesia sunt definita. 6. Quæ Doctorum consensu constant. 7. Quæ etiam Adversarii concedunt. 8. Quæ sunt principia lumine naturæ nota, aut ad ea proximè accedunt, ut, non posse idem esse bonum & malum respectu ejusdem.

Probabile.

VII. Quæ sunt probabilia? Resp. Univerfim, quæ virum prudentem, si rem ritè penetraret, possunt movere ad assensum, sive ut credat, esse verum, quod dicitur. Speciatim verò probabilia censentur: 1. Quæ ferè semper fiunt (& hæc dicuntur *firmissima*) ut, liberos amari à parentibus. 2. Quæ communi æstimatione propè certa sunt (& di-

DE INVENTIONE.

9

dicuntur *propensiones*) ut, hodie sanum cras adhuc victurum. 3. Quæ habent simplicem speciem veritatis (& vocantur *non repugnancia*) ut, furtum ab eo factum in domo, qui in ea fuit.

VIII. Quæ sunt dubia & tamen verisimilia? Resp. Circa quæ, etsi non desit ratio credendi, æquè magna tamen occurrit in contrarium. Ut, qui sæpe pœnitens in gravia scelera identidem relabatur, nunquam aut rarò fuisse verè pœnitentem. Verisimile.

IX. Qualia debent esse argumenta? Resp. Meliora sunt utique illa, quæ certa; quia tamen pleraque talia non sunt, sufficiunt probabilia. Imò & verisimilia, cum istis allata, non carent sua vi ad persuadendum. Quæ argumenta sufficiant.

X. Unde sumuntur argumenta? Resp. Ex locis oratoriis, de quibus mox Fontes argumentorum.

CAPUT III.

De Locis oratoriis.

I. Quid est locus oratorius? Resp. Est argumentorum sedes. Sunt nempe certi fontes, & capita generalia, quæ nondum sunt argumenta, sed occasio, medium, & quasi index, unde expeditum ingenium pro quavis materia argumenta invenit. Quid loci oratorii.

II. Quotuplices sunt loci oratorii? Resp. Quotuplices. *Intrinsici*, id est qui insunt rei, qui conjunguntur cum ipsa natura rei, quam tracta-

tractamus. Et *Extrinfeci*, seu remoti, qui non in-
sunt rei, sed quasi foris & aliunde assumuntur.

Ubi seruiant. III. Pro quibus *Causarum* generibus ii
seruiunt? Resp. *Intrinfeci* pro omni genere
Causarum; *Extrinfeci* pro solo genere judi-
ciali.

Intrinfeci. IV. Quot sunt *Loci Intrinfeci*? Resp. Com-
muniter isti sexdecim numerantur: Defini-
tio, Enumeratio partium, Notatio nomi-
nis, Coniugata, Genus, Forma seu species,
Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Ad-
iuncta, Antecedentia, Consequentia, Re-
pugnantia, Causæ, Effecta, Comparatio.

**Alij loci ora-
torij.** V. Soline isti sunt idonei? Resp. Alios,
prædictis sæpe non minùs utiles, subjungo.
Pro genere deliberativo potissimùm: 1. Utile,
2. Honestum, 3. Jucundum, 4. Facile,
5. Necessarium. *Pro genere Judiciali* 1. Leges,
2. Consuetudines patriæ, & municipales.
3. Contractus. 4. Promissiones. 5. Ratioci-
nium humanum. *Pro orationibus sacris*. 1. Sa-
cra Scriptura. 2. SS. Patres. 3. Traditiones
Ecclesiæ. 4. Sacra Concilia. 5. Historia Ec-
clesiastica. 6. Theologia Speculativa, Mo-
ralis, vel Polemica. 7. Meditatio, oratio,
lectio sacra. 8. Apologi & Parabolæ. 9. A-
dagia, Paræmiæ, Gnomæ. 10. Symbola,
Emblemata, Ænigmata, Hieroglyphica.
11. Sententiæ diversorum Scriptorum.
12. Eruditio. 13. Expositio varia alicujus
sententiæ S. Scripturæ in sensu *Litterali* seu
histo-

historico; *Allegorico*, quando verbis mysticis Ecclesia & ejus mysteria indicantur; *Morali*, seu Tropologico, dum verba illa ad mores informandos exponuntur; & *Anagogico*, per quem locutio explicatur ad futurum statum in altera vita, prout videre est apud Interpretes S. Scripturæ.

VI. Quot sunt Loci Extrinsici? Resp. Sex: *Extrinsici*. Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Testes. Potiores explicemus.

VII. Quid est *Definitio*? Resp. Est oratio *Definitio*. explicans naturam seu essentiam alicuius rei.

VIII. Quomodo ea fit? Resp. Definitio constat duabus partibus. Sumitur imprimis aliquid rei, quæ definitur, commune cum pluribus aliis, ipsi aliquo modo similibus; & hæc pars vocatur *Genus*. Deinde aliquid particulare, quod rei definitæ soli ita proprium est, ut per hoc additum differat ab omni alia re, quam non definitio; & hæc pars vocatur forma, species, seu *differentia*. v. g. Homo est *animal rationale*; Rhetorica est *ars bene dicendi*. Atque ista tantum circa definitionem Rhetorica tradit, cujus reliquas leges Logicæ permittit. Sic autem factæ definitiones sunt strictiores.

IX. Quas alias definitiones frequenter adhibet Rhetorica? Resp. Non ita strictas, quæ *Definitiones oratorum*. *Descriptiones* vocantur, & sunt eæ, quibus natura alicujus rei quomodocunque exprimitur atque explicatur.

Harum mo-
dus.

X. Quomodo fiunt tales descriptiones?
Resp. Variis modis. 1. *Per Causas & Effecta.*
Ut: Peccatum est offensa Dei, quæ innumera mala inducit in hac vita, & in altera pœnas sempiternas. 2. *Per Consequentia.* Ut: Sol est lampas mundi, quæ diem efficit, colorem rebus tribuit, plantis & animalibus vitam impertitur, &c. 3. *Per Proprietates & Accidentia.* Ut: Felis animal domesticum caput habet buboni non absimile, domum muribus perpurgat, quos etiam in tenebris videns mira in angulis aviditate confectatur. 4. *Per Similitudines.* Ut: Flores sunt sidera terrestria, hortorum gemmæ, viva myrothecia. 5. *Per Negationem & Affirmationem,* dicendo imprimis, quid res non fit, deinde subjungendo, quid illa fit, vel vicissim. Ut Apostolus 1. Cor. 13. 4. *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Et Cic. in Pis. n. 23. *Is in lictoribus, in toga, & pratexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te Consule esse voluisti. Hujus tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas? Omnino Consulem esse oportet consilio, fide, gravitate, vigilantia, curâ, toto denique munere consulatus &c.* Et Pro Sextio n. 97. *Quis ergo optimus? &c. Omnes opti-*
mates

mates sunt, qui neque nocentes sunt, &c. Item pro Domo sua n. 88. *An tu populum Rom. illum esse putas, &c.*

XI. Quomodo formatur argumentum ex Definitione? Resp. Sive hæc, sive Descriptio sumatur, neutra afferetur nudè, sed cum ornatu figurarum. Istud oratorum, alterum est Philosophorum; ubi enim hi ad probandum, quòd Rhetorica sit discenda, dicerent: *Ars bene dicendi ornat hominem: Rhetorica est ars bene dicendi; igitur ornat hominem: atq; ideo contendendum, ut eam acquiras;* Orator diffusè & ornatè eandem rem proponit. Habes in hoc exemplo argumentum ex Definitione.

XII. Quid est *Notatio nominis*, vel *Ety- mologia* græcè? Resp. Est locus, qui verborum originem inquirit. Ut: *Consul dictus est, quòd patria consulat; igitur Piso non est Consul, qui ei non consulit. Castitas à castigando nomen habet; igitur castus esse nequit, qui corpus non castigat.*

Notatio nominis.

XIII. Quando aptè hoc loco utimur? Resp. Tum aliàs, tum in genere Exornativo, quando ex alicujus nomine occasionem laudis aut vituperij desumimus. Sic Cic. Verr. 3. n. 191. *Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam in luto demersam, esse in littera?* Alibi eundem vocat *Everriculum*, quòd furtis bona aliorum conver-

rat.

rat. Alludit ad idem nomen 4. Verr. n. 52. Habent præterea quædam nomina aliquam vim significandi, ut *Chrysoſtomus* Os aureum; *Stephanus* Corona; *Vincentius* &c. Alia ſuppeditant occasionem per Anagramma, ſeu commutationem litterarum *Roma*, *Amor*, *Mora*. Quamvis hoc levius ſit. Alia propterea, quòd alius virtute illuſtris olim eodem nomine fuerit appellatus, & hic illius facta ſit imitatus, uti S. Nicolaus Tolentinas facta S. Nicolai Epifcopi.

Conjugata.

XIV. Quid ſunt *Conjugata*? Reſp. Quæ ab eodem verbo orta variè commutantur. Ut: *Sapientiam* habet in animo defixam, ac proinde *sapiens* eſt, & *sapienter* aget. Qui locus Orat. videtur eſſe ſatis jejunus, unde fortè alicujus momenti argumenta rarò licebit exſculpere. Cic. Pro Marcel. n. 12. *Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium jam antè equitate & miſericordiâ viceras; hodie vero die teipſum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio; ipſam victoriam vicisse videris, cum ea ipſa, qua illa erat adepta, victis remiſiſti. Nam cum ipſius victoria conditione jure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ judicio ſervati ſumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipſius victoria conditio viſque devicta eſt.*

Enumeratio partium.

XV. Quid eſt *Enumeratio partium*? Reſp. Eſt diſtributio alicujus totius in ſuas partes. Qui locus fecundiffimus, & tum pro argu-

argumentis inveniendis, tum pro dilatatione sæpe valde utilis, ut meliùs intelligatur, scire oportet, quid & quotuplex sit totum, & quid sit pars.

xvi. Quid est totum? Quid pars? Resp. Totum est collectio omnium partium. Pars est aliquid totius. Potest autem aliquid esse totum respectu unius, & pars respectu alterius. Sic manus est aliquod totum respectu digiti, & pars respectu reliqui corporis. Species est totum respectu individuorum, & pars respectu generis.

xvii. Quot sunt tota? Resp. Quatuor. Quotuplex
Totum Genericum, Specificum, Integratum, & Morale.

xviii. Quid est Totum Genericum? Resp. Quod sub se continet plures partes specificas. Ut *Virtus* continet sub se plures species Virtutum, putà Charitatem, Temperantiam, Humilitatem, &c. *Animal* Quadrupedes, Aves, Pisces, Vermes, &c. *Avis* Aquilas, Cygnos, &c. Ubi nota, unum genus altero latiùs patere, id est, plura sub se continere: latiùs enim patet *Animal*, quàm *Avis*, *Piscis*, &c.

xix. Quid est Totum Specificum? Resp. Quod sub se continet plures partes numericas, ut vocant, seu plura individua. Individua aut plura numero hìc voco, quæ in natura cõveniunt, nec aliter differunt, quàm quòd unum non sit alterum; ut, plures actus ejusdem

dem

dem Virtutis ; plures Equi , quorum licet color , ætas , patria , &c. discrepet , in natura tamen conveniunt , & hæc diversitas est tantum accidentalis.

xx. Quid est Totum Integrale ? Resp. Quod habet plures partes integrantes , ut vocant. Aliud est esse *Totum* , aliud esse *Integrum*. Qui caret uno pede , habet totum corpus , quia omnes ejusdem partes phisicas , materiam scilicet , formam , & unionem , sed non habet integrum. Quænam autem pars spectet ad integritatem alicujus totius , vel non spectet , aliunde constare debet.

xxi. Quid est Totum Morale ? Resp. Quod in se unum quidem & indivisum est , partes tamen habet modo nostros concipiendi diversas. Hujusmodi Tota sunt : *Deus* in se simplicissimus , qui instar partium habet suas tres Personas , & divinas perfectiones , licet eæ reipsa sint eadem simplicissima res ; *Angelus* , & *Anima* rationalis , quorum partes sunt ipsorum potentia. Hæ ipsæ rursus tanquam partes habent suas operationes , virtutes , vitia , &c.

xxii. Quomodo sumitur argumentum ex Enumeratione partium ? Resp. Si ab enumeratione partium affirmando vel negando fiat transitus ad totum. v. g. *Habet Charitatem , Patientiam , &c. Igitur est virtute præditus. Seipsum vilipendit , honores fugit , &c.*
Quare

Quare habet animi demissionem. Christus capite spinas, manibus & pedibus clavos, humeris crucem, &c. pertulit: Itaque omnibus membris passus est.

XXIII. Quid est *Genus*? Quid *Forma*, seu *Species*? Resp. Horum 2. locorum explicationem jam attuli paulò antè n. 18. & 19. Quomodo à Genere sumatur argumentum, dixi n. 22. A Forma seu Specie sic formatur: *In Martyrio est actus Charitatis, Fortitudo, Patientia: Ergo est Virtus.* Hic nota, perinde esse, sive juxta data exempla argumentemur à Specie ad Genus, sive à Genere ad Speciem. Ut: Hic Sanctus habet magnam laudem virtutis: enituit enim in ipso Fortitudo in adversis, Liberalitas, &c. Quas virtutum species in amplificatione non tantum oportet nominare, sed etiam distribuere in suas partes numericas, seu particulares istarum virtutum actus recensere. Videantur ea, quæ cap. 15. hujus libri de Thesi & Hypothesi tradentur.

Genus & Forma.

XXIV. Quid est *Similitudo*? Resp. Cicero sic eam definit: Est ea, quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. Sensus est, quòd sit comparatio duarum rerum, re ipsa diversarum, propter aliquam convenientiam, quam inter se habent, unde postmodum similes esse affirmantur. Ut, si aurum vocetur sol metallorum, Avarus dicatur hydropicus. Sicut enim sol eminet inter sidera, ita aurum inter metalla:

Similitudo.

B

sicut

sicut hydropicus, quò plus bibit, eò plus sitit, ita avarus, quò plures opes coacervat, plures appetit. Et tamen aurum non est sol, nec avarus est hydropicus. Vides in his exemplis, quomodo argumentum ex similitudine desumatur. Fateor tamen, argumenta, ex hoc loco petita, sæpe non multum habere virium, & ornare potiùs sermonem, quàm flectere auditorem solere.

Dissimilitudo.

xxv. Quid est *Dissimilitudo*? Resp. Est, cum ex re dispari aliquid dissimile eruitur aut concluditur. Ut: *Si terrena sapientes divitias colligunt, qui cælum spirant, eas abiiciant, ut perituris eterna commutent.* Cic. pro Cn. Planc. n. 68. *Quanquam dissimilis est pecunie debitio & gratia. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit; qui autem debet, ea retinet alienum: gratiam autem & qui reddit habet, & qui habet, in eo ipso, quod habet, refert.*

Contraria.

xxvi. Quid sunt *Contraria*? Resp. Sunt duo, quæ se mutuò excludunt ex eodem subjecto, seu quæ non possunt simul esse in eodem subjecto.

xxvii. Quot sunt huiusmodi *Contraria*? Resp. Quatuor. *Adversa*, seu *Contraria* strictè sumpta, quæ sunt duæ qualitates in eodem genere maximè inter se distantes, ut album & nigrum, virtus & vitium. *Privatio* sunt habitus formæ & ejus privatio. *Privatio* autem est mera negatio formæ in subjecto

jecto apto illam habere. Sic forma aëris, seu habitus formæ, est Lux. Absente luce adest ejus privatio, cum tenebræ nihil sint positivum, sed mera negatio lucis. Sic vita & mors &c. *Relata* sunt, quæ habent ad se mutuuum respectum, ita ut unum non possit explicari, nisi in ordine ad aliud. Ut Dominus & servus, Magister & discipulus, Pater & filius, Dux & miles. Quomodo enim Dominus, nisi quia habet servum? Quomodo servus, nisi quia habet dominum? Et sic de cæteris. Sunt hæc *Relata* verè *Contraria*, cum se mutuò excludant ex eodem subjecto: fieri enim nequit, ut idem respectu ejusdem & pro eodem tempore sit Dominus & servus. *Negantia*, quæ à Philosophis *Contradictoria* vocantur, sunt duo, quorum unum negat alterum. Ut: Probus, Improbus.

XXVIII. Quomodo à singulis argumenta fiunt? Resp. *Ab Adversis*: Vitium est perniciosum: ergo Virtus utilis. *A Privantibus*. Cic. pro Mil. n. 79. *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis; & de ejus nece lata est questio, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset.* *A Relatis*. Cœlestis Magister Christus Humilitatem verbis & exemplis docuit: non est igitur ejus discipulus, qui hanc discere non curat. *A Negantibus*. Cumulat nos Deus innumeris bonis: quàm perditè igitur ingratus, qui peccando mala rependit?

Adjuncta.

XXIX. Quid sunt *Adjuncta*? Resp. Ea, quæ cum persona vel re sunt conjuncta, illi per accidens adhærent, illam comitantur, aut circumstant; unde etiam Accidentia & Circumstantiæ vulgò vocantur. Magis ordinaria hoc versu indicantur:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando. *Quis* designat personam vel rem, de qua agitur. *Quid* negotium, quod circa illam geritur. *Ubi* locum. *Quibus auxiliis* adjuncta. *Cur* causam. *Quomodo* modum. *Quando* tempus. Præter ista Quintil. L. 5. Instit. Orat. c. 10. sequentia addit: Genus, Natio, Patria, Sexus, Ætas, Educatio, Habitus, Fortuna, Conditio, Natura animi, Victus, Studia, Dicta, Facta, Nomen, Casus, Facultates, Instrumenta, Signum. Est & hic locus amplissimus tum pro Inventionem, tum pro Dilatationem; unde nonnihil pluribus eum declaro.

XXX. Quomodo serviunt *Adjuncta*? Resp. Seligenda sunt ex his aptiora ad propositum argumentum. Ut si V.G. sermo sit de Passione Domini, argumentum aut materiam Dilatationis suppeditabit: *Quis*, seu persona patiens, quæ est Christus innocentissimus, cujus opera, tanquam Dei & hominis, erant infiniti valoris, &c. *Quid* patiat in anima & corpore, quid in utriusque partibus. *Ubi*? In loco totius Judææ celeberrimo, in quo erat famosissimus à virtutibus,

bus, prodigiis, beneficiis. *Quibus auxiliis*, seu quinam & quo pacto cooperati sint, aut patientem destituerint. *Cur?* Quæ fuerit causa finalis? nostra scilicet Redemptio, & satisfactio superabundans. Quæ causa materialis? Quæ moralis? nempe peccata, &c. *Quomodo?* Passus est gravissima patientissime, sine solatio, imò tristis usque ad mortem, prævidens, quàm multis tanta Passio non sit profutura, &c. *Quando?* Eo tempore, quo propter confluxum totius Judææ Jerosolymam passio erat maximè ignominiosa. In alia occasione materiam præbebit *Genus*, potèstque dici, quinam fuerint ipsius parentes & majores, de quo fit oratio. *Natio & Patria*, observando, quid aliàs tali genti vel civitati soleat esse proprium, ut Fortitudo Romanis, Sapientia Græcis, &c. *Sexus*. Si mulier ultra sexum fortis aut sapiens fuit, &c. *Ætas*, notando, quid cuiusvis ætati soleat esse proprium, ut levitas juventuti, gravitas ætati virili, languor & timor senili. *Educatio*, à qua cum ferè mores pendeant, materia copiosa est argumentis & amplificationi. *Habitus*, intelligendo per hunc habitus virtutum aut vitiorum; vel vestimentum; vel habilitatem ad res gerendas, formam, robur, &c. qui sunt uberes fontes pro ingeniosis. *Fortuna*: prospera vel adversa quomodo fuerit usus? Quomodo opibus vel inopiâ? *Conditio*. Fueritne ser-

vus an dominus, nobilis an plebejus? &c. *Natura animi*, sive inclinationes ad bonum aut malum: quomodo hanc vicerit, aut ex illius ductu egerit. *Victus* parcus & qualis, &c. *Studia*. Quibus negotiis & rebus fuerit addictus, honestis an inhonestis? Quas litteras aut artes didicerit, docuerit, invenerit? &c. *Nomen*, si ejus etymologia aliquam cogitationem suggerat; an rei convenit? an ita egerit, ut olim alii ejusdem nominis? *Casus*, si qui adversi aut mirabiles ipsi evenerint, quomodo se in iis gesserit? *Facultates* amplas an tenues nactus sit? quibus mediis acquisiverit? quomodo impenderit? *Instrumenta* seu adjumenta ad rectè vel secus agendum. *Signa*, si qua vitam præcesserunt, aut mortem secuta sunt. Sufficiente hæc possunt. Qui plura desiderat audeat Quintil. l. c.

Antecedentia & Consequentia.

XXXI. Quid sunt *Antecedentia* & *Consequentia*? Resp. Sunt ea, quæ tantam inter se connexionem habent, ut ex eo, quod alterum antecesserit, necessariò vel probabiliter alterum consequatur, aut è converso. Sic mala vita & mala mors inter se connectuntur. Advertendum tamen, aliqua necessariò antecedere, & ex tali antecedente sequi aliud necessariò: aliqua tantùm habere probabilem inter se connexionem; ut, ex eo, quod aliquis noctu visus sit armatus in platea, in qua inimicus ipsius altera die in-

inventus est occisus, non necessariò, sed probabiliter tantùm sequitur, quòd ab ipso sit occisus, quia hoc etiam antecedente potuit ab alio fuisse occisus. Ex hoc loco petitur argumentum illud contra peccata venialia, quo arguitur, ex ipsarum frequentatione secuturum tandem lapsum in peccatum mortale.

XXXII. Quid sunt *Repugnantia*? Resp. Sunt *Repugnantia*, quæ simul in eodem reperiri quidem possent (in quo hic locus differt à Dissimilibus & Contrariis) plerumque tamen simul esse in eodem non solent, ut: *alterum amare & convitiis proscindere; odisse & opitulari,*

XXXIII. Quid est *Causa*? Resp. Quod *Causæ* per suam cooperationem efficit, ut aliquid aliud existat.

XXXIV. Quot *Causæ* ab oratoribus considerantur? Resp. Plerique adstruunt tantùm quaternas, videlicet Materialem, Formalem, Efficientem, & Finale. Ego verò non video, cur dissimulari debeant *Moralis & Exemplaris*. Censent aliqui, has duas non esse *Causas* propriè dictas. Quidquid de hoc sit, ut locus hïc ipsis concedatur, sufficit, quòd ex his quoque utilia argumenta peti possint.

XXXV. Quid est *Causa Materialis*? Et quomodo tam ex hac quàm ex reliquis ducitur argumentum? Resp. Est materia, ex qua res aliqua facta est. Verres Regi Antiocho
su-

suftulit magnum candelabrum aureum : Fecit igitur grave furtum. Constantinus M. Imp. donavit Ecclesiæ plurima vasa aurea & argentea : Fuit igitur valde munificus.

xxxvi. Quid & quotuplex est *Causa Formalis*? Resp. Est forma in materiam introducta, per quam distinguitur ab alia re, & determinatur, ut sit id, quod est. Hæc forma duplex est : *Naturalis*, qua ipsa Natura determinat materiam, ut sit potius hoc, quàm aliud. Talis in viventibus est anima; in non viventibus forma alia, ut lapidis, auri, &c. *Artificialis* est, qua per artem introducit forma in materiam, V.G. Species calicis in argentum. Ex prima sic arguitur: *Homo animam immortalem sortitus est; Itaq; aternitati vivat.* Ex altera sic: *Sculptor ex communi marmore fecit Jovem; quam igitur divinitatem haberet?*

xxxvii. Quid est *Causa Efficiens*? Resp. Quod per suum influxum physicum aliquid efficit. Sic causa efficiens Mundi est Deus, pictor imaginis, homicida necis. Hinc argumentum sic formabitur: *Deus creavit animam hominis; est igitur opus perfectum, cum Dei perfecta sint opera. Ex bello oritur vastatio regionum & urbium, fames, &c: est ergo causa multorum malorum. Judas Christum vendidit, prodidit, tradidit: merito igitur ipsi primario mors salvatoris tribuitur.*

xxxviii. Quid est *Causa Finalis*? Resp. Est

Est Finis, cujus obtinendi gratiâ aliquid fit, à quo consecutio illius finis pendet. Sive, est id, quod ut cognitum me movet ad aliquid agendum, dependenter à quo facto id obtinebo, quod cognosco. V. G. Cognosco sanitatem, quæ cognita me movet ad sumendam medicinam, dependenter à cujus sumptione sanitatem obtinebo. Sic argumentamur ex hoc loco: *Creatus est homo, ut Deum laudet, ipsi serviat, & obediendo ipsius mandatis beatitudinem eternam consequatur: Quapropter necesse est, ut ipsi serviat, &c.*

XXXIX Quid est *Causa moralis*? Resp. Quæ ut cognita, tanquam aliunde jam existens, me movet ad aliquid faciendum, dependenter à quo cognitum illud obtinebo. V. G. Cognosco, jam existere promissum Dei infallibile: *Beati Misericordes, quoniam ipsi Misericordiam consequentur.* Sum misericors, & Misericordiam Dei consequor. Cognita illa promissio divina est *Causa Moral*is meæ Misericordiæ. An verò potiùs Misericordia Dei obtinenda me moveat tanquam *Causa Finalis*, ut sim Misericors, non disputo. Ex hoc loco probari potest, v. g. quòd merita Christi à Deo prævisa fuerint *Causa Moral*is gratiarum progenitoribus ipsius, ac præsertim præcellentium illarum B. V. concedendarum. Et similia. Discrepat autem *Causa Moral*is à *Finali*, quòd licet utraq; me moveat ut existens in sola mea
cog-

cognitione, finis tamen me movet ut futurus, seu *ut sit* dependenter ab illo, quod ago; Causa Moralis autem cognita me movet, *quia est*, sive quia jam aliquid præcessit.

XL. Quid est *Causa Exemplaris*? Resp. Est prototypon sive exemplar, juxta quod aliud quid efformatur. Ut cum pictor depingit imaginem ad normam alterius, quam habet ante se; prior imago est alterius *Causa Exemplaris*. Ita ex hoc loco argumentari licet: *Homo formatus est ad imaginem Dei: curet igitur, ne peccatis Dei similitudinem in se destruat. Christus est non tantum Redemptor noster, sed etiam Magister vitæ sanctioris, quam verbis, maximè verò exemplis, docuit. In variis variis virtutes docuit. In cruce Humilitatem præcipuè & Mortificationem. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte Calvaria monstratum est.*

Effecta.

XLI. Quid & quot sunt *Effecta*? Resp. Sunt ea, quæ ex causis oriuntur. Sic calix aureus est effectus hujus *Causæ Materialis*. Et ita de cæteris. Adeoq; tot sunt *Effecta*, quot sunt *Causæ*.

XLII. Quomodo fit argumentum à singulis *Effectis*? Resp. Colligendo ex *Effectis* *Causas*, earumq; vim ac præstantiam: sunt enim *Effecta* *Causis* notiora. Itaq; sic sumetur argumentum ab *Effectis* *Causæ Materialis*: Mortui in terram resolvimur; ergo ex eadem formati sumus. *Formalis*: Naturæ ductu

ductu ad immortalitatem aspiramus: igitur animâ immortali donati sumus. *Efficientis*: Nullum in orbe malum est, quod suam originem peccato non debeat: quis itaq; peccatum malorum maximum esse neget? *Finalis*: Deus omnibus hominibus misit suum Filium, omnibus dat gratias sufficientes: quare omnes vult salvari. *Moralis*: B. Virgo à Labe etiam Originali præservata, & donis cœlestibus super omnes homines ornata est: unde confectaneum est, summum in ipsam fuisse amorem Filii, cujus intuitu Sanctiss. Trinitas ad eum ipsi præ cæteris favit. *Exemplaris*: Adolescens, antea pius, pravorum sodalium mores induit, pejerat, voluptates sectatur, &c; nempe trahimur exemplis, sumusq; boni cum bonis, mali cum malis.

XLIII. Quotuplex *Comparatio* institui potest? Resp. Triplex. 1. Comparando *majus cum minore*, quando contendimus ex majore exemplo, minus aliquid fieri debere. Ut: Christus tui amore crucem inter latrones libens sustinuit; tu parvum contemptum ipsius amore ferre nolis? Idem præcepit, ut, si quis te percutiat in dextram maxillam, præbeas ei etiam sinistram: & vel verbum durius te ad vindictam comoveat, qui hujus cœlestis Magistri discipulus vis haberi? 2. *Minus cum Majore*. Ut: tantum à te non obtines, ut modico illicio incitatus peccan-

Comparatio.

peccandi occasionem fugias ; quomodo in ea constitutus, & graviter sollicitatus, te continebis , ne pecces ? 3. *Paria cum paribus.* Sancti Stephanus & Jo. Gualbertus , homines tui similes , inimicis condonârunt : ne dicas igitur , Christi in eadem re exemplum tuas & aliorum hominum vires superare.

XLIV. Quid de reliquis Locis Intrinsecis censendum , quos supra n. 5. addidi? Resp. Expositione majore non videntur indigere, cùm per se clari sint, & Oratores sacri nostri temporis per frequentem & utilem eorum usum exemplorum affatim suggerant. De argumentis ex Theologia Speculativa , Morali , vel Polemica de promptis judico, ea, reliquarum rationum , ex aliis locis petitarum , ita fundamentum esse debere , sicut ipsa in sacris litteris fundantur , aut ratione ; nec ferè solidas esse orationes , sed inutilem multoties garrum , quæ huic fundamento non primariò innituntur , auribus mulcendis quàm tangendis cordibus aptiores. Meditatio sacra quotidiana , uti & rerum sacrarum lectio, aurifodina est , ex qua ditantur sacrae orationes ; sine his succo carent & unctioe spiritûs ; imò , nescio, qua ratione , vanitatem redolent, etiam cùm in argumentis sacerrimis versantur. In allegandis SS. Patribus sæpe non sufficet , unicum unius S. Patris dictum adduxisse ,
fed

sed necesse erit, plures citando, probare, rem, de qua agitur, esse ex communi ipsorum sensu, ut istiusmodi argumentum vim habeat. Id tamen semper facere prudentis non est, sed in iis præcipuè rebus, ubi SS. Patrum coacervata auctoritas persuadere potest veritates, quæ videntur non multum nos obstringere. In his autem allegandis magna figurarum varietas adhibenda est.

XLV. Quomodo intelligendi sunt *sex Loci Extrinseci*? Resp. Quamvis mei propositi non sit de Genere Judiciali, ad quod hi loci spectant, accuratiùs tractare, ob causam numero sequente dicendam; tamen ut primarias saltem partes totius Rhetoricæ asseram, etiam hos obiter adduco. *Præjudicia* sunt eadem res jam aliàs in simili judicata; vel quando in rebus, ad hanc causam spectantibus, lata sunt iudicia, quæ idem hîc concludere videntur; vel si hæc ipsa causa ab istis aut aliis iudiciis jam semel est iudicata & definita. *Fama* est sermo multorum, qui ut plurimum non fallit, & ad probationem servit, nisi constet, malitiam intervenisse, aut nimiam credulitatem, aut à fallaci fundamento, vel nimis levi auctore ortam esse hanc famam. *Tabula* sunt leges, consuetudines, scripta publica (Protocolla vocant) vel privata, ut testamenta, chirographa, Apochæ, &c. *Tormenta* sunt quæstiones pœnales, quibus latens veritas exprimitur. *Jusjurandum*

jurandum

jurandum est Dei in testem invocatio in dubiis, plerumq; facta à parte affirmante, cui in omni iudicio fides adhibetur, etiamsi ab hoste fiat. *Testes* sunt, qui affirmant notitiam alicujus rei, certis indiciis haustam, puta sensibus perceptam &c. Eòdem referri possent testimonia divina ex oraculis, probatis vaticiniis, & consimilibus petita.

CAPUT IV.

*De inventione propria generibus
Judiciali & Deliberativo.*

Genus Judi-
ciale.

I. Quid speciatim dicendum de genere Judiciali? Resp. Aliqua de Locis, huic generi propriis, attuli præced. cap. n. 5. Quoad reliqua præcepta universalia convenit ferè hoc genus cum reliquis duobus: unde qui illa scit, etiam istud eadem operâ sciet. Cæterùm de genere Judiciali ideo non videbatur in hoc opusculo longiùs & enucleatiùs agendum, quia consuetudo justas orationes in hoc genere habendi ferme potioribus in locis sublata videtur. Deinde quia iudicatur ferè non ex veteri jure, sed ex novo particularium locorum: quapropter ex eorundem consuetudine & moribus hujusmodi orationes & earum inventio informari debent. Quod si quis tamen plura de hoc genere desideret

ret

ret, fufius de ipfo fcribunt tum alii, tum Bretteville in fua Rhetorica gallicè edita. Confuli etiam pro his & aliis orationibus poterit Orator Extemporaneus P. Radau.

II. Quænam funt fpecialia generi Deliberativo? Resp. I. Videndum initio, an ea res fit, de qua fufcipitur fuafio vel diffuafio, & an fieri poffit; alioquin fublata eft deliberatio. 2. Si fieri poffit, an fit utilis, honefta, jucunda, facilis, neceffaria, vel majus bonum, de quo L. 6. c. 2. plura. Sunt ifti loci huic generi proprii, ut fuprà dixi. In diffuafione verò oppofitis rationibus procedendum eft. 3. Qui vult fuadere, ftudiosè obfervet, an habeat coram fuis auditoribus fufficientem auctoritatem, æftimationem probitatis & fapientiæ; alioquin frustra aget. Item quid & cui fuadeat (neque enim quidvis cuivis fuadendum ratio dicit) & ob quas rationes. Ingenui ducuntur ratione & honeftate, vulgus utilitate, juvenes jucunditate, fenes facilitate & neceffitate &c. Quocirca neceffe eft priùs cognofcere ingenium & mores Auditorum. 4. Si dubium fit, an res fieri poffit, primò fieri poffe oftendat; dein caufas afferat, cur fieri debeat. 5. Qui diffuadet, monftret, rem fieri non poffe, nec, fi poffet, fieri debere, utpote inutilem, indecentem, &c. 6. Dicat fine magno apparatu fermonis, ut decet fapientem, qui aliquid fuadet,

ne

Deliberativum.

ne talis apparatus consilium suspectum faciat. 7. Caveat tum semper, tum in isto genere, suspensionem ostentationis ingenii. 8. In deliberationibus vim non modicam habent exempla, rei, de qua agitur, convenientia, præsertim recentiora; quia vicina nostris temporibus magis movent.

CAPUT V.

*De Inventione propria Generi
Exornativo.*

Genus Exor-
nativum.

I. **Q**uid universim in laudibus observandum? Resp. Propriè loquendo nihil laudem mereri, nisi virtutem, & quæ cum virtute conjuncta sunt, loquendo de hominibus.

II. Quis potest laudari? Resp. Deus, Cælitates, Probi, viventes & defuncti, Urbes, Regiones, Scientiæ, Artes, Virtutes ipsæ, & alia, de quibus Tyrocinium Eloquentiæ.

III. Si non est certum, an homo, qui laudatur, habeat aut habuerit aliquam virtutem, potestne hæc ipsi tribui? Resp. Præstat niti certis, ne propter incerta etiam certis, quæ dicuntur, fides decedat. Sunt tamen aliquæ virtutes, in quibus meritò conjectura fit etiam de aliis, cum hæc soleant illarum esse effectus, vel aliàs cum ipsis connexæ. Et talis connexio jure creditur

tur in insigniter probis. Quia tamen virtutes recensendæ sunt non per capita, sed secundum actus earum singulares, ut aliàs dicitur, rarò fortè virtutes incertæ pro dilatatione, saltem fusiore, deservient.

IV. Ex quibus capitibus laudantur homines? Resp. Ex bonis internis & externis, cum virtute conjunctis. Laus hominis

V. Quæ sunt interna? Resp. Aliqua sunt in Intellectu, ut ingenium, capacitas ad res magnas gerendas, sapientia, prudentia, & aliæ virtutes intellectuales, scientiæ & artes, earumq; effectus. Aliæ spectant ad voluntatem, reliquæ scilicet virtutes & dona cœlestia. Hæ verò, quod paulo antè monui, non proferendæ sunt solùm generatim, sed actus cujusque adducendi; atque ex his non omnes, sed ii solùm, qui habent aliquid singulare, seligantur. Neque nudè repræsententur, sed cum ornatu & varietate. à bonis internis,

VI. Quæ & quotuplicia sunt bona externa? Resp. Duplicia: *Bona Fortuna*, ad quæ spectant opes, potentia, favor & gratia apud homines, natio, patria, parentes & propinqui cum suis factis insignibus, nobilitas, liberi, partus ingenii vel industriæ, & alia, quæ paulo pòst referentur. *Et Bona Corporis*, qualia sunt: Forma, quæ est signum virtutis; valetudo, & vires, quæ sunt virtutis adjumenta. Circa formam advertendum & externis

dum, aliam decere virum, aliam mulierem; aliam seni, aliam juveni convenire; aliam laudari in Principe, aliam in milite, &c; neque rursus sufficere, ut in genere dicatur, alicui fuisse formam suæ conditioni congruentem, sed debere hoc ipsum explicari. Exemplum habes in Plinii Secundi Panegyrico Trajani. Sed hæc bona, ut dixi, cum virtute conjuncta sint, aliàs parùm ad laudem conducent: & in laudando perspicuitatis causâ fervetur ordo.

Ordo laudis.

VII. Quis ordo in laudandis hominibus servari potest? Resp. Primus esse potest *Ordo virtutum*, dicendo imprimis de illis, quæ Deum, & res divinas spectant; deinde quæ proximum concernunt; demum quæ ad propriam personam laudandi pertinent. Exornandæ sunt nominatim illæ, quæ cum aliqua difficultate fuerunt conjunctæ, raræ, aut sine spe laudis vel mercedis, in hac vita obtinendæ, fuerunt exercitæ. Pluribus non probatur ille modus laudandi, quo quis comparatur aliis virtute illustribus; nam præterquam, quòd comparationes sæpe sint odiosæ, quandoque non satisfaciunt, quia videtur orator laborare penuriâ materiæ, dum mediam partem orationis infumunt decora illius, cum quo comparatio instituitur. Antiquæ insuper nonnullis videntur illæ metaphoræ, quibus v. g. Sanctus aliquis comparatur soli, stellæ, gemmæ

gemmæ certæ, &c. Aliter quidam sentiunt, ad quorum mentem l. 6. c. 11. paradigma aliquod afferam. Porrò ita laudetur aliquis à virtute, ut ex ipso modo proponendi auditores queant suspicari, plura ornamenta reticere, quàm exponi. Qui præsefert, quòd omnia velit dicere, plerumque pro expectatione nimis parùm dicet. Idcirco proderit materiam laudis definire certis quibusdam virtutibus, velut primariis capitibus, quæ ingenioso facilè dabunt occasionem aptè inferendi etiam alias, his vel affines, vel cum ipsis quocunque modo connexas. Idq; fieri potest per præteritionem, concessionem, & alias similes figuras. Semper tamen cavendum ab exaggeratione. Quibusdam omnis Sanctus, quem laudant, non videtur satis laudari, nisi major cæteris asseratur; & in laudibus virtutum, ea, de qua orationem instituunt, semper est excellentissima. Quod, quàm inscitum sit, nemo non videt. Similiter nunquam nimis seorsim exaggeretur Justitia Dei, ut auditor propè desperet, aut Bonitas, ut de ea præfidat, sed duæ istæ Dei perfectiones jungantur. Alter modus est ordine quodam ostendere, in illo fuisse, *quod consuleremus* alteri, ut faciat. Quod rursus potest reduci ad certa capita, cum respectu ad statum & conditionem illius, qui laudatur, v. g. si fuit Religiosus, Princeps, &c. Alii reducunt ipsius

statum ad certam quandam *Ideam*, putà boni Præsidis, Episcopi, Militis, &c; in quo nôsse oportet, quid specialiter talis conditionis hominibus conveniat. Iterum alius ordo est diversarum *Ætatum* vitæ, nimirum ostendendo, qualis fuerit in puerili, juvenili, virili, senili ætate. Denique, ut plures alios omittam, ordo alius est secundum triplex tempus, videlicet ante vitam, in vita, & post vitam. Per primum hîc intelligitur non solum tempus ante nativitatem, sed etiam ante vitam moralem, sive in melius mutatam. Quod proderit observare propter eos, quorum vitam naturalem nihil singulare ad ipsos spectans præcessit, & pueritia ipsa fuit obscura, sed illustriores divinis muneribus anni proximi ante conversionem fuerunt.

VIII. Quomodo laudatur homo secundum hæc tria tempora? Resp. *A tempore ante vitam*, propter nationem, patriam, parentes, propinquos, si facta suorum imitatus est, vel suis gestis illustriora reddidit; ob nobilitatem & dignitatem Majorum; ob expectationem communem partûs, &c. A signis, oraculis, vaticiniis præcedentibus, quæ futuram ipsius claritatem prænuntiârunt. *A tempore vitæ*, ex bonis internis & externis, & propriis virtutibus ac factis, de quibus n. 5. & 6. præced. Ab eventibus insolitis, qui in nativitate ipsius, aut aliàs con-

contigerunt. *A tempore post vitam*, ob genus mortis, & quæ circa ipsam acciderunt. A luctu bonorum & desiderio sui relicto; à decretis ipsi honoribus in sepultura, monumento splendidiore, statuis, Epitaphiis. A factis liberorum, vel discipulorum, quos instruxit. A piis Legatis. Ab utilitate liberorum aliorumque operum, quæ post se reliquit.

IX. Unde laudantur Religiosi Coetus? Resp. *Laus religio-*
 A Fundatore, antiquitate, pietate semper *si Coetus*,
 servata, utilitate publica, præclaris sancti-
 moniâ, qui in eo statu claruerunt, legum
 sanctitate & severâ custodiâ, doctrinâ, vir-
 tutum diversarum studio, ab æstimatione
 ac favore Cœlitum & hominum, &c.

X. Quomodo laudantur Regiones? Resp. *Regionum,*
 A fertilitate & utilitate rerum diversarum;
 à cæli temperie; ab incolis, qui in ea va-
 riis temporibus floruerunt; à fluminibus,
 montibus, urbibus, veteribus monumen-
 tis, &c.

XI. Quomodo Urbes? Resp. *Urbium.*
 A vetustate, situ, munitionibus, conditoribus, civibus
 illustrioribus, artibus ibi florentibus, ædi-
 ficiis, portibus, cænobiis, utilitate, empo-
 riis, &c. Capita, ex quibus virtutes & alia
 laudantur, vide in Tyrocin. Eloq. l. 3. P. 2.

XII. Unde sumitur materia vituperii?
 Resp. Ex capitibus oppositis, iis, quæ mo-
 dò pro laude recensita sunt.

CA-

CAPUT VI.

De Amplificatione rerum.

Amplificatio
rerum quid.

I. **Q**uid ulteriùs inveniendum? Resp. Inventis argumentis, quæ serviunt ad faciendam fidem, seu movendum Intellectum, invenienda sunt insuper, quæ conducunt ad ulteriorem motum voluntatis. Et hæc appellatur Amplificatio rerum, seu gravior quædam affirmatio, quæ brevioribus quibusdam argumentis, artificiosè confertis, auditores, de veritate propositionis per argumenta jam convictos, vehementiùs impellit, ut etiam velint, quod orator persuadere nititur.

II. Nunquid ad hunc finem sufficit, si convictus sit Intellectus? Resp. Non facit huc, an Intellectus & Voluntas sint una tantùm potentia, de quo Philosophi, ut adeò moto Intellectu, mota sit eo ipso Voluntas: breviora hæc argumenta conferunt victoriam certiozem.

III. Undenam hæc argumenta petuntur? Resp. Ex iisdem fontibus, quos pro argumentis, fidem facientibus, supra c. 2. indicavi.

IV. Qui sunt modi illa proponendi? Resp. Decem præcipuè, quos ordine subjungo.

Ejus modi.

I. *Per Definitiones conglobatas*, seu multas ejusdem rei definitiones congestas. Ut: *Historia testis est temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vita, nuntia vetustatis.*

2. *Per Consequentium frequentationē*, qua plura coacervantur, quæ ex aliqua re consequentur. Ut : si pergas multiplicare peccata venialia , imminuentur Dei gratia ; vires animæ infringentur ; oratio, qua aliàs roboramur, vim minorem exseret ; augebuntur contrà vires hostibus ; sollicitationes ad scelera graviora majore impetu ingerentur ; decrescet peccandi horror ; noxam demum lethalem committes. Et Cic. pro Mur. n. 85. Sed quid tandem fiet &c.

3. *Per consictionem Contrariorum*, per antitheses sibi mutuò oppositorum. Cic. II. Catil. n. 10. Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus, &c. Quanam isthæc, audaciàmne vocem, an insaniam ? quanam, inquam, seu audacia seu dementia, quòd homo peccando non vereatur provocare Deum, servus vilissimus Dominum supremum, innumeris affectus beneficiis summum suum benefactorem, judicandus Judicem, imò jam reus supplicii aeterni irritatum scelerum vindicem ?

4. *Per colluctationē Dissimilium*. Cic. in Pis. n. 33. Atque ut tuum latissimum diem cum tristissimo meo conferam, utrum tandem bono viro & sapienti optabilius putas sic exire à patria, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit ; an, quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes execrarentur, malè precarentur, unum tibi illam viam & perpetuam esse vellent ? Vide quæ ibi præcedunt à n. 31. An cùm proficiscebamini paludati &c.

5. Per

5. Per conglobationem Causarum & Effectorum. Cic. pro Archia n. 16. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis persugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Querere multis modis vexatam esse Provinciam; sed ad causas calamitatis attende. Vigebat in ea ambitio, luxuria dominabatur, segnes erant magistratus, populus ipse molli otiosaque securitate difflebat. Expectata igitur damna longè graviora exhaurietur ærarium, jacebit spreta religio, cades impunè vitabunt.

6. Per similitudinem & exempla. Ut: Audis Laurentium in candente craticula falso joco insultantem tyranno: crederes non ipsum in igne torreri, sed volutari in rosis, deliciari in convivio. Instructus nempe fuerat eodem spiritu, quo Paulus adversa contra se velut provocavit, Ignatius bestias in suum corpus incitare meditatus est, Apostoli gaudentes à conspectu concilii egressi sunt.

7. Per coacervata Adjuncta Cic. Verr. 7. n. 79. Æstate summa, quo tempore ceteri Prætores obire Provinciam & concursare consueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu & periculo ipsi navigare; eo tempore ad luxuriam libidinisque suas, domo sua regia, qua Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti solent, contentus non fuit. Tabernacula, quemadmodum consueverat temporibus æstivis, carbasseis intenta velis, collocari iussit in littore, quod est litus in insula Syracusis, post Arethusa fontem, propter ipsum introi-
tum

tum atque ostium portus, amœnosanè & ab arbitris remoto loco.

8. *Per Enumerationem partium*, S. Ambr. in Lucæ cap. 2. Non solum ab Angelis, & Prophetis, & à pastoribus, sed etiam à senioribus, & Justis, generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, & uterque sexus, eventorumque miracula fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, Justus expectat. Similia exempla infinita possent afferri aut de novo formari. Ut si diceres ab enumeratione, totam Naturam Christo crucifixo compassam. Omnes ætates contribuisse ad ipsius Passionem, omnis conditionis homines, &c. Omnibus nocere luxû, &c.

9. *Per Incrementum orationis*, quo semper aliquid priore majus sequitur, cum rem attollimus; aut semper minus, cum illam deprimimus, ita ut ultimum sit maximum vel minimum. Cic. pro Rosc. Amer. n. 12. Nisi in hac causa qui vester animus sit, ostendatis, ed prorumpet hominum cupiditas, ut non modò clam, verum etiam hæc in foro, ante tribunal judicis, ante pedes vestros, Judices, inter ipsa subsellia, cades futura sint. Et Verrina 7. n. 169. Facinus est vinciri civem Rom. scelus verberari, propè parricidium necari: quid dicam in crucem tollere? &c. usque ad n. 172. A me tametsi satis habent.

10. *Per comparisonem*, quando res, quæ tractatur, similiter attollitur vel deprimatur

com-

comparata cum altero. Cic. 1. Catil. n. 3. *An verò vir amplissimus P. Scipio Pontifex maximus T. Gracchū mediocriter labefactantem statum Reip. privatus interfecit, Catilinam verò, orbem terræ cade atq; incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus?* Potest ista comparatio etiam traduci ad exempla dissimilia, quod sæpe facit Cicero, ut in 4. Verr. n. 51. *Mithridates in Asia, cum eam Provinciam totam occupasset, Mucia non sustulit hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus & immanis; tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit: tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impartiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, ut cæteros dies festos agere possent.*

Quando adhibenda.

v. Quando talis amplificatio est adhibenda? Resp. Non semper & in re quavis, sed solum in magnis, quæ sunt scilicet alicujus momenti. Sunt autem aliqua *magna ex natura sua*, ut res divinæ ac cælestes, quæ habent causas occultas, quæ sunt præter morem calamitosæ, indignæ, perniciosæ, tristes; vel contra lætæ, optabiles, &c. Alia sunt *magna æstimatione hominum*; ut quæ maximè profunt vel obsunt; item ea, erga quæ præcipua veneratione ducimur, putà Deus, patria, parentes, fratres, liberi, conjuges. Neque tamen omnia statim, quæ hos concernunt, magna sunt; sed an aliquid tale sit, judicandum dicentis prudentiæ relinquitur. Juxta Hermogenem

genem

genem magna censentur, quæ, cum humana sint, inter ipsos tamen homines magni fiunt, ut potentia, generositas, ingenium, fortitudo, victoriæ, triumphi. Cic. pro Ligar. *Nihil habet nec fortuna majus tua, quàm ut possis, nec natura tua melius, quàm ut velis conservare quamplurimos.* Et de Cicer. Vellejus Paterc. l. 2. *Omnia incrementa sua sibi debuit: vir ingenio maximus, qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.* De eodem Seneca Controv. l. I. *Illud ingenium quod solum pop. Rom. per imperio suo habuit.* Magna item sunt, quæ inter homines referunt aliquid divinum. Sic aliquis PP. Græc. dixit, vitam Christiani esse imitationem vitæ divinæ: alius Latinorum, diligere inimicos esse ultionem divinæ similem. Cic. ibid. *Homines ad deos nulla re propius accedunt, quàm salute hominibus danda.* Rursum Vellejus Paterc. l. 2. de Catione: *Homo virtuti simillimus per omnia, ingenio diis quàm hominibus propior, qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur.*

CAPUT VII.

De inventione Affectuum voluntatis in genere.

I. **A**D quid, tanquam primarium caput inventionis, oratoris cura maxime respicere debet? Resp. Ad Affectus voluntatis

Motus Affectuum necessarius.

tatis excitandos. Hæc planè est præcipua, & tamen parvis oratoribus incognita, pars Rhetoricæ. De Affectibus loquens Quintil. lib. 6. c. 2. ait: *Huc igitur incumbat orator, hoc opus ejus, hic labor est, sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt. Ad eò velut spiritus operis hujus atq; animus est in Affectibus.* Ita ille, nec immeritò: idcirco enim Rhetorica à Cicerone Regina flexanima vocatur, quòd animis dominetur; quod qui nequit efficere, oratoris nomine abstineat. *Probationes efficiunt sanè, ut causam nostram meliorem esse Judices putent, Affectus præstant, ut etiam velint.* Quint. l. 5. c. 3. Quare operæ pretium esset, hanc partem prolixius pertractare, quàm alias, nisi compendium mihi præscripsissem: unde capita solùm indicabo.

Quid sit Affectus,

II. Quid est Affectus? Resp. Est vehementior motus animi ex apprehensione boni vel mali ortus.

Quotuplex,

III. Quotuplices sunt Affectus? Resp. Duplices: Leniores & vehementiores.

Ubi excitandus,

IV. Ubi excitandi sunt isti Affectus? Resp. Leniores in Exordio & circa initium. Vehementiores tum in epilogo, tum aliàs, ubi amplificatio rerum adhibetur, de qua dixi ad finem capituli præcedentis.

V. Quot numero censentur Affectus? Resp. Sunt, qui tot adstruant, quot communiter Passiones numerantur, videlicet undecim, quarum sex sunt in appetitu concupiscibili

scibili, ut vocant, putà: *Amor*, *Desiderium*, & *Gaudium* circa bonum; *Odium*, *Fuga*, & *Tristitia* circa malum. Quinque in Appetitu Irascibili: *Spes* & *Desperatio* circa bonum arduum; *Timor*, *Audacia*, & *Ira* circa malum itidem arduum. Præter quos sæpe numero in oratione locum habent sequentes: *Mansuetudo*, *Commiseratio*, *Indignatio*, *Invidia*, *Æmulatio*, *Pudor*, *Gratia*. De singulis breviter aliqua postmodum tradentur.

Quomodo,

VI. Quid universim requiritur, ut quis in animis tales affectus concitet? Resp. 1. Debent auditores de oratore habere existimationem, quòd sit probæ vitæ, prudens, & quòd ipsorum commodis studeat: quæ opinio si desit, non movebuntur. 2. Qui alterum vult movere, prius ipse sit motus. *Summa enim* (inquit Quintil. l. sup. c.) *quantum ego quidem sentio, circa movendos Affectus, in hoc posita est, ut moveamur ipsi. Nam & luctus, & ira, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumq, tantum, non etiam animum accommodaverimus.* Si animo ita commoto accedat conformis oratio & actio, æqualis passio in auditore confurget; secus non item. Id quod Horat. in Art. poët. innuit:

*Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi.*

Id ipsum monet Cicero libr. 2. orat. num. 189. *Neq, fieri potest, ut doleat, oderit,*

rit,

rit, &c. qui audit, nisi omnes hi motus, quos orator adhibere volet in iudice, in ipso oratore impressi, atq; iniusti videantur. Non sufficit igitur, ut orator more histrionis fingat affectus, quos habet descriptos in sua charta, sed necesse est, ut ipse commotus eosdem sentiat in seipso. Quod maximè congruit Oratori sacro, qui cum prædicet aliis, quod ipsūmet credere par est & facere, convenit, ut ipse quoq; priorem se moveat ad ea, ad quæ nititur alios impellere. 3. & maximè, cognoscendi sunt mores eorum, quos motos cupimus, tam qui nationi, quàm qui ætati alicui proprii sunt. Aliis enim movetur senex, aliis juvenis, aliis vir, aliis mulier, aliis animus nobilior, aliis ignobilis. *Maxima vis oratoris est in hominum mentibus excitandis, & nisi qui naturas hominum, vim humanitatis, causasq; perspexerit, dicendo quod volet perficere, non poterit.* Cicer. de Invent. *Sagaciter pervestiget orator, quid hi homines, quibus persuadere vult, cogitent, sentiant, opinentur, expectent: teneat oportet venas, mentesq; degustet.* Idem de Orat. l. I. n. 223. & n. 286. Ita v. g. volens movere ad reparationem injustè ablati honoris, repræsentet, quàm suus cuique gratus sit, quàm ægrè ferat, illum vel in minimo lædi. De quibus plura Palatium Eloquentiæ Exercit. 6. lect. I. puncto 5.

Unde petatur.

VII. Qui sunt fontes communes Affectuum? Resp. Sequentes modò cit. Palat. Eloq.

Eloq. puncto 6. monstrat. 1. Servit habitus & oris forma pro quovis ferè affectu. Sic cùm multis vulneribus confossum Publ. Clodii cadaver olim exhiberetur, concionem magnopere comovit. 2. Mores & studia virtutis aut vitii, quod commiserationem, odium, invidiam excitat. 3. Fortuna, quod valet ad iram & indignationem adversus improbos, qui eâ probos everterunt, & ad comiserationem erga probos. 4. Ætas juvenilis, senilis, aut vegeta virilis. 5. Patria damnum passa vel periclitans. 6. Imbecillitas sexûs; quod pudorem viris, aliàs commiserationem adducit. 7. Communio sanguinis, affinitatis, conditionis, studiorum, conjunctionis, amicitiae. 8. Locus. 9. Tempus, longum vel breve, commodum vel incommodum, contemptum. 10. Causa. Si quis pro Patria vel virtute patitur, parit amorem; Si probus à conjunctis insciis, comiserationem; Si ab improbis, indignationem; Si improbus patitur, delectationem. 11. Modus, quo res contingit, v. g. à genere mortis, gravitate suppliciorum, dicitate instrumentorum, &c. 12. Amici vel inimici absentis imago repræsentata. Sic Cicero Pisoni & Vatinio ex formæ & morum descriptione odium conciliat. 13. Similitudines idoneæ. Reliqui fontes Affectuum sunt Loci oratorii, ut Effecta, Antecedentia, Consequentia, Adjuncta,

Enu-

Enumeratio partium, Comparatio, Utilitas vel damnum, Honestas aut indecentia. Eos etiam adjuvant aliquæ figuræ, ut Hypotyposis, Prosopopæia, Exclamatio, Interrogatio, Obsecratio, Communicatio, Ethopæia, Apostrophe, Exclamatio, & aliæ pro diversitate materiæ. Sed nihil magis, ut dixi, conducit, quàm si orator sit ipse motus, tunc enim vel naturâ duce faciliè auditoribus imprimet Affectus, quos ipse habet. Qui circa hæc & sequentia desiderat exempla & plura alia, consulat Palatium Eloquent. Exercit. 6. & du Cygne Explanat. Rhetor. l. 1. c. 4.

CAPUT VIII.

De Inventione Affectuum voluntatis in specie.

Amor.

I. **Q**uid est *Amor*? Resp. Definitur ab Arist. l. 2. Rhet. c. 4. quòd sit Affectus, quo quis cupit, & quantum potest, etiam facit alteri bonum, non sui gratiâ, sed alterius, quem diligit, h. e. per dilectionem non quærendo proprium, sed alterius commodum.

II. Quomodo movetur Amor? Resp. Cùm juxta Senecam amor amoris sit & causa & pretium, ejus primarium illicium est, si ostendamus, nos alterum amare, & quidem, quan-

quantum licet, ipso etiam opere, bona nostra communicando, idque non per modum mercaturæ, sed præcisè amati gratiâ. Deinde si prodamus, nos in bonis amici gaudere, in malis contrà, ac si nostra essent, dolere; eadem cum ipso amare & odisse. Si benevolentiam beneficiâque exhibeamus; morum ac studiorum similitudinem sectemur cum amico in bono & virtute, cum in malis non sit verus amor aut amicitia. Si appareat insuper comitas, urbanitas, constans fidelitas. Exempla hujus Affectûs elegantia habet Cicero, ut 4. Catil. initio: *Est mihi jucunda in malis & grata in dolore vestra erga me voluntas. Sed eam per deos immortales, quaeso deponite, atque obliti salutis meae de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si hac conditio consulatûs data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatûsq; perferrem, feram non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis, populûq; Rom. dignitas, salûsq; pariat. Et pro Mil. n. 93. Me quidem, Judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assidue, & quibus intersum quotidie: Valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: Stet hæc urbs præclara, mihiq; patria charissima, quoquo modo merita de me erit, &c.*

III. Quid est *Desiderium*? Resp. Est appetitus boni absentis, quatenus boni, seu sub ratione boni; nam aliqua, in se mala, desiderantur, sed ut nobis repræsentata sub specie alicujus boni. Desiderium.

D IV. Quo

IV. Quomodo movetur Desiderium? Resp. Ostendendo bonum aliquod absens, cum sit utile, honestum, jucundum, vel necessarium, simul esse facile: nam nimis arduum concitat desperationem. Non evertitur tamen desiderium, si ostendatur, illud bonum absens esse aliquo modo arduum; imò acuitur illud desiderium per spem obtinendi, si simul exhibeantur media ad ipsius impletionem conducentia & adjuvantia. Ex quibus patet, desiderium incitari per laudem boni absentis. Manifestat suum desiderium Cic. 4. Catil. n. 23. *Quæ cum ita sint, P. C. pro imperio, pro exercitu, pro Provincia, quam neglexi, pro triumpho, ceterisque laudis insignibus, quæ sunt à me propter urbis vestrae, salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitibusque provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minus labore tueor, quam comparo, pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam conspiciatis, ad conservandam Remp. diligentia, nihil aliud à vobis, nisi hujus temporis totiusque mei consolatùs memoriam postulo.* Ad desiderium vitæ movet Cæsarem à spe in Orat. pro Marcello n. 29. *Nec verò hæc vita tua dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur, illa, inquam, illa est vita tua, Cæsar, quæ vigeat memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic tu inservias, hinc te ostentes oportet.*

Gaudium.

V. Quid est Gaudium? Resp. Cic. 4. Tusc. Quæst.

Quæst. n. 14. Est opinio recens boni præsentis, in quo efferi rectum esse videatur. Vel, ut alii, est sensus animi bono præsentis, & novo, seu insolito, quatenus præsentis, cum delectatione acquiescentis. Habet & iste Affectus non rarò locum in oratione.

VI. Quomodo movetur Gaudium? Resp. Commemoratione & explicatione boni modo descripti, referendo v. g. insperatam mutationem fortunæ adversæ in secundam. Nascitur item Gaudium syncerum ex virtute & bona conscientia. Cic. 2. Catil. initio: *Tandem aliquando Catilinam furentem audaciâ, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis atq; huic Urbi ferrum, flammamq; minitantem, ex urbe, vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit: nulla jam pernicies à monstro illo atq; prodigio manibus ipsi intra mania comparabitur.* Item in Pison. n. 52.

VII. Quid est Odium? Resp. Cic. 4. Tusc. Odium.
Quæst. n. 4. illud vocat Iram inveteratam. Est Affectus Amori directè oppositus, ex cuius definitione alia hujus definitio facile fingi potest: contrariorum enim eadem est ratio ac disciplina.

VIII. Quomodo concitatur Odium? Resp. Oppositis mediis, quæ pro amore movendo sunt adducta. Insuper ex demonstrato alterius odio, incommodis, damnis, præ-

fertim in plures redundantibus, injuriis, diversitate studiorum ac morum, sceleribus, maximè læsione injusta famæ, corporis, aut fortunarum, inurbanitate, inconstantia, infidelitate, ingratitude, deformitate corporis, hebetudine animi, aut si ex tenui fortuna ad sublimiorem quomodocunque evasit, qua in aliorum damnum abutitur superbè, crudeliter, libidinosè, avarè, impiè agendo. Frequens est in hoc affectu ciendo Cicero, contra Vatinius & Pisonem autem plenus. Pro Ligario. n. 4. *Hæc non modò mirabilia sunt, sed prodigiis similia, quæ dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis Rom. ante te nemo. Externi isti mores usq; ad sanguinem incitare solent odium aut levium Græcorum, aut immanium Barbarorum. Nam quid aliud agis? Ut Roma ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho, avunculo suo, ne cum ejus filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? Num in patria est? Num potest magis carere his omnibus, quàm caret? Italiâ prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patriâ privare, quæ caret, sed vitâ vis.*

Tristitia.

IX. Quid est *Tristitia*? Resp. Est affectus Gaudio contrarius, unde etiam simili definitione exprimitur, quòd sit dolor mali præsentis, quo nos indignos judicamus.

X. Quomodo excitatur *Tristitia*? Resp. Iisdem ferè mediis, quibus odium. Insuper ostén-

ostensione calamitatis propriæ vel conjunctissimorum, demonstrata indignitate mali, & difficultate illud depellendi propter potentiam inferentis. Cic. pro Rosc. Amer. n. 23. *Interea iste T. Roscius procurator Chrysgoni Ameliam venit, in pradia hujus evadit, hunc miserum luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri justa solvisset, nudum eicit domo atq; focis patriis, diisq; penatibus præcipitem exturbat. Ipse amplissima pecuniæ fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Multa palam domum suam auferebat, plura clam de medio removebat, non pauca suis adjutoribus largè, effusèq; donabat, reliqua constituta auctione vendebat. Quod Amerinis usq; eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemituq; fieret.*

XI. Quid est Fuga? Resp. Est affectus Desiderio contrarius. Describitur: Odium mali præsentis, quatenus nobis mali, cui irascimur, & à quo desideramus expediri. Fuga.

XII. Quomodo movetur Fuga? Resp. Excitando odium & iram per expositionem mali indigni, &c. Idcirco procedit ab iisdem mediis, quibus ira & odium, quos duos Affectus consule.

XIII. Quid est Spes? Resp. Est appetitus boni absentis, ardui quidem, quod tamen labore potest acquiri. Spes.

XIV. Quomodo movetur Spes? Resp. Cùm amemus bonum, & eo frui desideremus, quod amamus, speremus verò consequi, quod

quod desideramus, quæ ad amorem & desiderium excitandum juvant, etiam spem provocant, maximè si circa illas passiones dictis adjungas honestatem & magnitudinem ejus boni; si ostendas aliqua media & præsidia, atque ex his facilitatem bonum illud consequendi; si præmia & fructus exhibeas, ex illius possessione secuturos; in rebus verò sacris certitudinem divini auxilii proferas. Cic. in Catil. 1. & 2. ac nominatim hujus n. 24. *O bellum magnopere pertimescendum, cum hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem pratoriam. Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilina copias vestra præsidia, vestrosq; exercitus, & primùm gladiatori illi, confecto & saucio, Consules Imperatorèsq; vestros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italia ac robur educite. Jam verò urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis sylvestribus. Neq; verò ceteras copias, ornamenta, præsidia vestra, cum illius latronis inopia atq; egestate debeo conferre. Aliud exemplum vide apud eundem pro Lege Manil. n. 48. Itaq; non sum producturus, &c, usque ad n. 57.*

Desperatio.

xv. Quid est *Desperatio*? Resp. Est Affectus Spei oppositus. Definiri potest; Diffidentia obtinendi boni nimis ardui, vel mali nimis difficilis depellendi.

xvi. Quomodo movetur *Desperatio*? Resp. Ostendendo arduitatem illius boni, de-

defectum mediorum, fructus nullos, imo detrimenta consecutura; ignaviam & imbecillitatem ejus, qui tali bono inhiat. Cicer. pro Muræna n. 88. Si (quod Jupiter omen avertat) hunc vestris sententiis afflixeritis, quò se miser vertet? Domumne? ut eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quam paucis antè diebus laurea- tam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq; videat? An ad matrem, quæ misera modò consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paulò post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem aut domum appello, quem nova pæna Legis & domo, & parente, & omnium suorum consuetudine, conspectuq; privat? Ibit igitur in exilium miser? quo? ad Orientisne partes, in quibus annos multos Legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum hñore decesserit, eodem cum ignominia reverti, &c.

XVII. Quid est *Timor*? Resp. Est perturbatio ex opinione imminentis mali gravis, periculorum, aut damnorum. Timor.

XVIII. Quomodo movetur *Timor*? Resp. Cùm pro varietate propensionum alius alia timeat, cuique pro suo ingenio ea mala sunt proponenda, quæ magis horret incur- rere, cum repræsentatione periculi vicini & magni ea patiendi. Acuetur metus, quò ma- lum timendum vivaciùs depingetur esse gra- vius, longius, molestius; bonum vicissim per- dendum

dendum majus & charius; denique quò periculum monstrabitur præsentius & inevitabilius, ex portentis, nocendi potestate & voluntate propter æmulationem, improbitatem, offensam, avaritiam, crudelitatem, &c. Cic. pro Muræna n. 85. *Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint? Unus erit Consul, & is non in administrando bello, sed in sufficiendo Collega occupatus, hunc jam qui impediuri sint, parati sunt. Illa pestis immanis importuna Catilina prorumpet, quæ poterit, & jam populo Rom. minatur in agros suburbanos repente advolabit. Versabitur in castris furor, in Curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omni autem in sede ac loco ferrum flammamq; metuemus.* Vide etiam 4. Catil. n. II.

Audacia,

XIX. Quid est *Audacia* seu *Confidentia*? Resp. Est Affectus Timori contrarius. Definitur ab Arist. l. 2. Rhet. c. 5. Spes cum imaginatione rerum salutarium, quæ propè adsint, cum contrà terribilia vel non sint, vel longè absint. Hoc est: *Audacia* seu *Confidentia* est Spes, non qualiscunque, sed firma, obtinendi finis propter media conducentia, quæ sint ad manum; & propter opinionem, ea, quæ terrent, vel penitus non esse, vel longè abesse.

XX. Quomodo movetur *Audacia*? Resp. Ostendendo alicujus actionis commoda, honestatem, gloriam; media quoque præsentia

tia

ria & efficacia; damna & pericula, quæ timentur, vel nulla subesse, vel longius abesse; minores virtute similia superâsse; neminem, aut saltem nullum potentem, obstare, aut esse læsum; quòd quis solari se possit bonâ conscientia & ope divinâ; & alia causis timoris contraria. Cic. 4. Philip. n. 10. *Ita futurum esse confido; jam enim non solum homines, sed etiam deos immortales ad Remp. conservandam arbitror consensisse. Sive enim prodigiis atq; portentis dii immortal. nobis futura prædicunt, ita sunt aperte denunciata, ut & illi pena, & nobis libertas appropinquet; sive tantus consensus omnium sine impulsu deorum esse non potuit, quid est, quòd de voluntate celestium dubitare possimus?* Et 4. Catil. n. 11. *Huic ego me bello ducem profiteor: suscipio inimicitias hominum perditorum, quæ sanari poterunt, quacunq; ratione sanabo; quæ ressecanda erunt, non patiar ad perniciem civium manare. Proinde exeant aut quiescant; aut si in urbe & in eadem mente permanent, ea, quæ merentur, expectent.*

xxi. *Quid est Ira?* Resp. *Est appetitus* Ira.
vindictæ, ex dolore injusti contemptûs nostri vel nostrorum ortus. Arist. l. 2. Rhet. c. 2. Hæc definitio respicit solam iram, qua irascimur ratione præditis, non verò etiam illam, qua efferimur aliquando contra ratione carentia; neque de hac debet esse sermo, ubi agitur de concitandis per artem Affectibus.

xxii. Quo-

XXII. Quomodo movetur Ira? Resp. Ex demonstratione alienæ injuriæ, bonis nostris vel nostrorum, internis externisve, illatæ, aut certè ab altero destinatæ. Fit hoc in bonis internis per contemptum, contumeliam, infamationem, calumniam; in exteris verò per quodcunq; damnum corpori vel fortunis injustè illatum, quo ad ultionem solemus stimulari; ut cum impedimur, vel non adjuvamus, vel damnum patimur in aliqua re desiderata. Denique cum inimicus gaudet nostris adversis & calamitosis casibus, ingratum se præbet, &c. Cic. pro Quinct. n. 97. *Deniq; ipsius inimici vultum superbissimum subiit, ipsius Sex. Navii lacrimans manum apprehendit, in propinquorum bonis proscribendis exercitatum, obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius conjugem & liberos, quibus propior P. Quinctio nemo est, ut aliquando misericordiam caperet, aliquam, si non propinquitatis & ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet, ut secum aliquid, integrâ suâ samâ, qualibet, dummodo tolerabili, conditione transigeret: ab ipso repudiatus, ab amicis ejus non sublevatus, ab omni magistratu agitur atq; perterritus, quem præter te appelles, habet neminem: tibi se, tibi suas omnes opes, fortunâsq; commendat, &c usque ad finem.*

Manfuetudo.

XXIII. Quid est Manfuetudo? Resp. Est Depressio ac sedatio iræ.

XXIV. Quomodo conciliatur Manfuetudo?

do?

do? Resp. Depellendo injuriæ vel contemptûs opinionem. Ostendendo, alterum de culpa comissa dolere, eam fateri, se læso subiicere, paratum ad opposita iis, quæ fecit, meditatûs est, aut paravisse credebatur. Si comonstretur vel virtute præditus, ut adeò non malo animo egerit, vel non consideratè, vel sibi non satîs præsens; vel exhibeatur aliunde miser, & comiseratione potius quàm irâ nostrâ dignus. Demum si ostendatur iræ indecentia; contra verò animi, sibi imperare potentis, gloria. Cicer. pro Ligar. n. 30. *Ad Judicem sic agi solet. Sed ego ad te parentem loquor: Erravi, temerè feci, poenitet; ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto, ut ignoscas, oro: si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tum idem ser opem, qui spem dedisti.*

xxv. Quid est *Commiseratio*? Resp. Est dolor conceptus ex malo alterius, malo indigni, quo se quoque vel suos affici posse cognoscit. Arist. l. 2. Rhet. c. 8. Commiseratio.

xxvi. Quomodo movetur *Commiseratio*? Resp. Juxta modò datam definitionem ponendo ob oculos mali gravitatem; ejus, qui patitur, alia merita; metum similis mali, quod nobis vel nostris posset accidere. Gravititas autem mali major apparet, si quis ex florente fortuna delapsus est in adversam. Si passus est à conjunctis, iisque hoc malum non intendentibus; nam si scientes alteri

teri

teri nocuissent, non excitaret comiserationem, sed indignationem. Si is, qui patitur, est virtute præditus, saltem mediocri (nam ex mente Arist. de arte Poët. cum optimi patiuntur gravia, movet indignationem; cum mali patiuntur, delectationem) & malum non potest excutere. Deinde sunt quædam adjuncta, quæ augment hunc Affectum, ut ætas, dignitas conditionis, sexus, doloris acerbitas, & tamen in eodem constans patientia, diuturnitas, locus, tempus, impotentia seipsum juvandi. Alia per se sunt miserabilia, ut infantia & senectus, morbi graviores, mors intimorum, exilia, supplicatio modesta pro misero, introductio miseri loquentis, quemadmodum facit Cicero pro Mil. n. 93. Vides quoque, quàm aptè hæc congruant sermoni de Zelo Animarum, de auxilio Animabus purgantibus præstando, &c. Cic. pro Fonteio n. 31. *Videte igitur, utrum sit equius, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum dedi inimicissimis atq; immanissimis nationibus, an reddi amicis; præsertim cum tot res sint, quæ vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent: primum generis antiquitas, quam Tusculo, ex clarissimo municipio, profectam, in monumentis rerum gestarum incisam, ac notatam videmus; tum autem continua Præture, &c.* Vide etiam: Pro Quinct. n. 1. & 2. Pro Flacco n. 97. & 98. Pro Sylla n. 88. Pro Planeio n. 101. & aliàs.

XXVII. Quid

xxvii. Quid est *Indignatio*? Resp. Est dolor de fortuna alterius, illâ indigni; aut de malo illato alteri, qui melior est, quàm illud inferens. Indignatio.

xxviii. Quomodo movetur *Indignatio*? Resp. Recensendo vel indignitatem, vilitatem, vitia, insolentiam, crudelitatem, &c, personæ fortunâ gaudentis, qua abutitur; vel decora illius, qui à tali indigna patitur. Sæpius hunc affectum ingerit Cicero tum in aliis, tum in orat. pro Sex. Rosc. Amer. Exemplum, etiam huc spectans, repete ex hujus cap. n. 10.

xxix. Quid est *Invidia*? Resp. Est dolor de bono, quod obtigit propè simili in genere, propinquitate, ætate, conditione, opibus, gloria; non quia quis vellet bono illo frui, sed quia nollet alterum illud habere, cum putet, eo imminui suam dignitatem. Ita universim invidi sunt, qui in aliqua re soli optarent excellere, si alium ad suam in eadem re gloriam videant accedere. Differt *Invidia* ab *Indignatione*, quòd hæc sit dolor de bono illud non meriti &c; illa verò de bono etiam eo digni. Invidia.

xxx. Quomodo movetur *Invidia*? Resp. Dicuntur oratores alium in invidiam trahere, quando suam invidentiam etiam in animos auditorum traducturi alterius malos mores & scelera producendo, arguunt, illum suâ fortunâ & bonis esse indignum, ad ea
ma-

malis artibus evasisse, honorem aut opes aliis dignioribus præripuisse, aut certè ad aliorum nocumentum illis abuti. Quod in vituperio locum habet. Cic. Act. 1. in Verr. n. 33. *Res omnis mihi tecum erit, Hortensi; dicam aperte: si te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando, atq; in explicandis criminibus operam consumerem. Nunc quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quàm ex istius tempore, & causa malitiosè, necesse est, istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere.* Vide illum etiam locum 7. Verr. n. 32. *Hunc tu igitur imperatorem esse defendis, Hortensi, &c.*

Æmulatio,

XXXI. Quid est Æmulatio? Resp. Est dolor honestus de alterius dotibus, non quòd illum vellemus iis carere, sed quia nos iisdem destitui ægrè ferimus. Vel, Est appetitus imitandi aut æquandi alterius præclara ornamenta, qualia sunt: illustria facinora, nominis gloria, virtus, doctrina, sapientia, artes, opes, honores, aptitudo ad res bene gerendas, &c. Non cadit æmulatio in triviales animos; quare ne cura illam excitare, nisi in nobiles & excelsis spiritibus, qui nesciunt aliis esse inferiores.

XXXII. Quomodo movetur Æmulatio? Resp. Ejus capacibus ostentando illustria aliorum decora; proferendo facta immortalitate digna, vel Majorum, vel unà viventium; extollendo dignitatem & generosam
indo-

indolem illorum, quos cupimus ad imitationem incitare; laudis & gloriæ excellentiam jactando, quam paria factitando valent adipisci; præmia diversa virtutis proponendo. Sic Cicer. pro Lege Man. n. 11. hortatur exemplo Majorum ad ultionem de hostibus fumendam. Act. 1. in Verr. n. 51. *Suscipe causam judiciorum; suscipe causam severitatis, integritatis, fidei, religionis; suscipe causam Senatûs, ut is hoc judicio probatus cum populo Rom. in laude & in gratia esse possit. Cogita, qui sis, quo loco, quid dare populo Rom. quid reddere Majoribus tuis debeas. Fac tibi paternæ Legis Aciliæ veniat in mentem, quæ, &c.* Vide etiam 1. Philippicæ n. 34.

XXXIII. Quid est *Pudor*? Resp. Est dolor ac perturbatio animi ex malis, quæ infamiam generant, seu præterita illa sint, seu præsentia, seu futura.

XXXIV. Quomodo movetur *Pudor*? Resp. Exponendo turpitudinem facti, malum infamiæ, deformitatem vitii in genere, & in specie illius, de quo agitur, fructus exitiosos, inde natos, & ulterius prodituros. Sunt autem quædam ex sua natura judicio hominum infamia, ut lascivia, avaritia, timor & ignavia, lentitudo & inhabilitas ad res agendas, impudentia, stoliditas, inscitia, ingratitude, infidelitas, injustitia, perfidia, imbecillitas & hebetudo animi, &c. Quorum deformitatem fati est ad oculum

ex-

exhibere, ut erubescamus & execremur. Cic. pro Lege Manil. n. 70. *Et quoniam semper appetentes gloria prater ceteras gentes, atq; auidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta, &c.*

Gratia.

xxxv. Quid est *Gratia*? Resp. Est voluntas gratis, hoc est, sine spe ex parte nostra, bene meritis beneficium præstandi. Qui Affectus habere potest locum in Deliberationibus.

xxxvi. Quomodo movetur *Gratia*? Resp. Producendo alterius merita, vel quòd aliàs nobis fuerit utilis, vel quòd ad nos aliqua ratione spectet, vel quòd miser sit, & ad opem nostram se conferat, vel quia dignitas conditionis favorem meretur, vel ob temporis injuriam. Adducenda gloria talis facti; aliàs etiam exempla Majorum & aliorum, qui idem præstiterunt. Cic. pro Rosc. Am. in fine: *Unum persugium, Judices, una spes reliqua est Sex. Roscio, vestra pristina bonitas & misericordia, &c.*

xxxvii. Quid agendum oratori, si ad aliquem Affectum volens incitare, cognoscat, auditores opposito jam occupatos esse? Resp. Si v. g. ad amorem volens movere, sciat, jam prævalere odium, & sic de aliis loquendo, imprimis depellat omnes causas, quæ ad odium concitant, easdem confutando, ac dein rationes, amorem suadentes, afferat.

xxxviii. Quid adhuc circa ciendos Affectus
univer-

universim observandum? Resp. 1. Ut orator per artem successivè, & quasi clanculum se insinuet in animos, neque unquam apertè verbis prodat, illud se agere, quod maxime agit. Nescio, qua ratione auditores, si quando advertant, suæ voluntati ex destinato quasi vim intentari, eandem obdurent, & velut in oppositum obarment. 2. Idcirco argumenta sapienti quadam dissimulatione nonnunquam omittenda paululum, nec idem Affectus continuato impetu diutius urgendus, sed providè aliqua interponenda, ut post aliquod intervallum filum reassumatur. 3. Ad nauseam vitandam Affectus nunquam nudè sunt proponendi, sed semper cum eleganti varietate alio & alio verborum sententiarumque ornatu compti prodeant. Qua in re non tam præceptis quàm ductu prudentiæ, lectione, & exercitio opus esse videtur. 4. Dum affectibus excitandis studet, abstineat ab enarrandis historiis, & citandis locis S. Scripturæ vel SS. PP. nisi ii ipsi tales sint, qui propositos affectus certò promoveant. 5. Fortius animos commovent præsentia, quàm longè post futura. Sic v.g. post satis exterritum auditorem patefactâ enormitate criminum ipsius, ferveritate divinæ Justitiæ, proximo periculo castigationis &c, mox transeat ad porrigenda remedia, quibus omnia hæc imminencia mala prævertat. 6.

E

Totus

Totus ardeat orator. Idcirco sibi vires ad hæc extrema reservet. 7. Naturam in Affectibus provocandis proximè imitetur.

CAPUT IX.

De inventione Amplificationis Verborum.

I. **Q**uotuplex est Amplificatio? Resp. Duplex. *Rezum*, de qua proximis capitibus actum, & *Verborum*, quam nunc, tanquam partem minimè postremam Rhetoricæ fusiùs tractare aggredior.

Amplificatio
verborum
quid.

II. Quid est Amplificatio Verborum? Resp. Est rerum inventarum fusior cum ornatu dilatatio. *Rhetorica convenientiam habet cum Dialectica. Arist. L. I. Rhet. c. I.* Comparat Zeno Stoicus Logicam pugno, Rhetoricam palmæ, seu manui contractæ & exporrectæ; alii conferunt illam tenui rivulo, hanc torrenti latè planitiem obtegenti, quòd, cum utraque amplifcet, Logica id pressius faciat intra limites contractarum ratiocinationum, Rhetorica iisdem quidem & ipsa utatur, sed fusiùs diductis. Validiora certè sunt, quæ in ratiocinatione fundantur, nec animus resistit, ubi videt Religionem concordare cum ratione.

III. Quot

III. Quot modis fit Amplificatio Verborum? Resp. Plurimos quidam afferunt; ego eos seligam, qui meliores videbuntur, & per distincta capita claritatis causâ deducam.

IV. Quod est fundamentum omnis Amplificationis? Resp. Juxta mea principia est Ratiocinatio, de qua idcirco primo loco agendum.

Ejus fundamentum.

V. Unde igitur, & qua methodo inchoanda est Amplificatio? Resp. Ordior hinc tradere doctrinam, Libro 6. meliùs exemplis declarandam, quæ uti non penitus nova est, ita pluribus incognita, & fortè, si ritè percipiatur, à pluribus exercenda. Certè novi, qui orationes modo, nunc explicando, componentes miram facilitatem experiantur. Aio igitur, Amplificationem incipiendam à Propositione totius Orationis; hoc modo. Inventâ Propositione forma Syllogismum, vel aliam Argumentationem, cujus Complexio, seu Conclusio contineat hanc ipsam Propositionem Orationis. E. G. Tua Propositionis est: *Qui saepe relabitur in peccata mortalia, aliquando inopinatò non surget.* Hinc confice istum Syllogismum: *Non possumus surgere à lapsu in peccatum mort. sine speciali gratia Dei. Qui frequenter relabitur in peccata mort. aliquando inopinatò non habebit talem specialem gratiam Dei: Igitur qui frequenter relabitur in peccata mortalia, aliquando inopinatò non surget.* Jam ex

Modus per Ratiocinationem.

hac & similibus Argumentationibus, quæ sunt fundamentum & synopsis totius Orationis, sume pro Exordio illam partem (sive sit Major, sive Minor propositio Syllogismi, quas duas partes Rhetorica Propositionem & Assumptionem vocat) quæ probatione minùs indiget. Illam, quæ probationem desiderat, serua pro Confirmatione. Ex Complexione seu Conclusionem istius Syllogismi confice Epilogum. Quo fiet, ut, quemadmodum oportet, idem, licet non eodem modo, nec iisdem verbis, dicas in Epilogo, quod dixisti in Propositione totius Orationis, atque ab ejus principio usq; ad finem inhæreas tuo proposito, hac primaria Argumentatione velut cancellis inclusus. Dum contrà videmus, quòd non raro liber orator ita evagetur, ut planè suæ propositionis oblitus aliud in Epilogo conficiat, quàm quod initio proposuit. Quodsi modus iste nihilominus tibi forsitan non probeatur, per me illo abstine: æquè tamen ad alias orationes, tuo modo faciendas, seruiant, quæ hæcenus dicta sunt, & in sequentibus dicentur.

VI. His positis, quomodo continuatur Amplificatio? Resp. Inhærendo allato exemplo, Major, sive Propositio Syllogismi fundamentalis (sic ipsum vocare placet) est satis liquidæ veritatis. Cùm igitur probatione non egeat, erit materia Exordii, præcisè dilatanda

latanda modo aliquo ex postea referendis. Hanc ita dispone, ut Propositio Orationis sub finem Exordii non tantum quomodocunque ponatur, sed ita naturaliter ex constitutione & contextu Exordii nascatur, & quasi emanet, ut si quid aliud, quam hanc ipsam Propositionem, velles afferre, minime quadraret. Sed his L. 6. exempla dabant majorem claritatem. Inde transi ad Confirmationem, quæ in hoc argumento assumenda est ex Minore seu Assumptione Syllogismi primarii, cum ista probationem requirat. Itaque ex Locis oratoriis quære argumenta. V. G. 1. *Quò frequentiores sunt lapsus, eò gravius Deus irritabitur.* 2. *Ita irritatus graviter puniet subtrahendo efficacem gratiam resurgendi.* Quæ sunt ambo petita ex Loco Effectorum. Hæc argumenta iterum dilata per argumentationem hoc modo: Primum. *Cum Deus quolibet peccato irritetur, tanto magis irritabitur, quanto infidelitas gratiæ exhibita fuit major. Tanto hæc est major, quanto frequentior: Igitur quanto infidelitas Gratia exhibita frequentior fuit, tanto magis Deus irritabitur.* Secundum. *Cum quodvis peccatum mereatur pœnam, plura graviolem mereatur. Sed non est gravior pœna, quam subtractio Gratia efficaci à peccato resurgendi: Igitur plura peccata hanc merentur.* Jam ex his Argumentationibus argumentorum sume unam partem post alteram, per modos amplificationum dilatandam. Potes autem

incipere à parte, qua lubet, quæque tibi magis idonea videtur pro facienda connectione cum præcedentibus & sequentibus. Uno argumento absoluto fac transitionem ad alterum, modo infra quoque ostendendo. Illud pari ratione rursus amplifica. Sequetur Confutatio, vel Epilogus, cujus amplificandi methodum suo loco declarabo. Hunc modum argumenta per argumentationes dilatandi Ciceroni fuisse usitatum, demonstrant Freigius in Coñent. in Cicer. & P. du Cygne in Analyfi Ciceron.

VII. Quid verò faciendum, si tam Major quàm Minor postulat probationem? Resp. Erit nihilominus ex duabus his Propositionibus controversis una certior alterâ. Certiorem, si lubet, adhibere poteris pro materia Exordii, in quo necesse erit illam breviter rationibus stabilire. Quoniam tamen periculum est, ne propter has probationes Exordium ultra convenientem magnitudinem excrescat, suaserim utramque propositionem dubiam ad Confirmationem transferre, probandam. At unde dein Exordium? Resp. Ex visceribus causæ, h.e. argumentis secuturis, jam in Exordio aliquo modo indicatis; prout aliàs dicetur. Interim constet ex modò dictis, argumentationem esse fundamentum Dilatationis, quam propterea oportet primo loco declarare. Sit igitur

CA-

CAPUT X.

*De Argumentatione, & ejus
speciebus.*

I. Quid est Argumentatio, per quam argumenta primò dilatari dixi? Resp. Argumentatio quid.
Est fusior argumenti explicatio. Argumentum quodvis, ex Locis oratoriis depromptum, est res in se brevis, nec idonea implendæ orationi, oratorio modo propositæ; debet igitur per artem extendi & expoliri. Fit hoc per Argumentationem initio; ac tum ista ulterius diducitur per alios modos dilatandi.

II. Quot sunt species Argumentationis? Resp. Octo. Ratiocinatio, seu Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites, Dilemma, Epicherema, Collectio. Ejus Species.
De singulis nunc breviter.

III. Quid est Syllogismus? Et quas habet partes? Resp. Est argumentatio perfectissima, quæ apud Philosophos tres tantum partes habet, *Majorem, Minorem, & Conclusionem*. Rhetores illas vocant *Propositionem, Assumptionem, & Complexionem*. Ego Propositionem in sequentibus sæpius *Majorem* vocabo, ut vitetur confusio inter Propositionem Syllogismi & Propositionem totius orationis. Sed apud Rhetores Syllogismus habet

habet 5. partes : nam quando controversa est *Major* seu *Propositio* ejusdem, additur *Ratio Propositionis*. Si dubia sit *Assumptio*, ejusdem *Probatio* subjungitur.

IV. Quomodo fit Syllogismus? Resp. Profiteor in hoc libello Rhetoricam, non Dialecticam, cujus est enucleatius docere artificium syllogisticum, ex qua hoc tibi cognitum esse supponitur. Dabo tamen hinc rudem aliquam ipsius ideam. Syllogismus est Argumentatio, in qua affertur ratio quaedam communis & generica, quæ sit notior ad probandum. Et hæc pars vocatur *Propositio Major*. Assumitur deinde, adjungendo aliquid aliud minus notum: & hæc appellatur *Propositio minor*. Ex utraq; demum eruitur *Conclusio*, seu *Complexio*, sic dicta, quod utramq; complectatur, quod se supra duas præcedentes Propositiones reflectat, seu ex iisdem legitima consecutione deducatur, emanet, & concludatur. Ut si velles probare, *Fugiendam esse voluptatem*. Quære rationem aliquam communem, qualis est: *Omne, quod nocet, est fugiendum*: erit ratio, quam contra voluptatem Horatius affert: *Nocet empty dolore voluptas*. Inde conficies hunc Syllogismum tripartitum. Major: *Quidquid nocet, est fugiendum*. Minor: *Nocet empty dolore voluptas*. Conclusio: *Igitur empty dolore voluptas est fugienda*. Si velis facere Syllogismum 4. aut 5. par-

5. partium, sic istum auge: *major*; Quid-
quid nocet, est fugiendum. *Ratio Propositionis*:
Sic enim toxica & feras bestias fugimus. *Minor*:
Nocet empta dolore voluptas. *Probatio*
Assumptionis: Nam non sine dolore acquiri-
tur; gustata corpus & animam occidit,
opes & honores perdit. *Conclusio*: Igitur
empta dolore voluptas est fugienda.

v. Quid circa hanc & alias argumen-
tationes observandum? Resp. 1. Syllogismum
oratorium non necessariò habere quartam
vel quintam partem, sed alterutram vel
utramq; addi, quando Major, vel Minor,
vel utraq; hæc propositio controversa est,
& probatione indiget. 2. Syllogismum &
quamvis aliam argumentationem nequa-
quam ab Oratoribus nudè, & nunquam a-
pertè proponi, sed per modos amplificandi
dilatari, & Figuris ita exornari, ut Syllo-
gismus vel alia argumentatio non ampliùs
appareat. 3. Sicut non necessarium est in
dilatatione sequi ordinem Propositionum,
ut incipias à Majore, tum ad ejus Rationem
&c. procedas, quod suprà monui, ita non
esse necessarium, ut semper omnes has
partes argumentationis amplifies, cum
præsertim contingere possit, ut plurium
argumentationum conclusiones ferè in i-
dem recidant, adeòq; eadem res alijs ver-
bis sæpius tædiosè deberet inculcari. 4.
Rhetores non esse anxios, an Syllogismi,
quos

quos faciunt , sint ad omnes Canones Dialecticæ exactissimi : esto enim , quòd aliquis habeat 4. terminos , nihil obest amplificationi , cum cuilibet parti dubiæ possit addi sua probatio. Fateor tamen , quòd argumentatio eò melius stringat , quò accuratius facta est. Præcipuè verò Syllogismus primarius , qui totius Orationis fundamentum est , defectu careat.

Enthymema.

VI. Quid est *Enthymema* ? Et quomodo fit ?
 Resp. Est Syllogismus imperfectus , & illius pars ; omittitur enim Syllogismi Major vel Minor , & unicæ parti statim subditur Conclusio. Ut : *Rhetorica est ars bene dicendi : Ergo etiam sacris oratoribus est necessaria.* Ex quibus 2. partibus facile potest fieri integer Syllogismus tertiam addendo. *Ars bene dicendi etiam sacris oratoribus est necessaria. Rhetorica est ars bene dicendi. Ergo Rhetorica etiam sacris oratoribus est necessaria.* Quod si prima pars Enthymematis (quæ à Logicis *Antecedens* vocatur) vel ejus Conclusio probationem exigat , potest illa in dilatatione adjungi. Non tamen idcirco fiet ex Enthymemate Syllogismus , uti constat vel hospiti in Dialectica.

Inductio.

VII. Quid est *Inductio* ? Et quot modis fit ?
 Resp. Est Argumentatio , quæ ex pluribus præmissis non dubiis infert Conclusionem , quam orator intendit. Fit autem duobus modis. I. *Enumerationem* plurium specierum , ex quibus in Conclusionem infertur Genus.

Ut:

Ut : *Cum Rom. Resp. occideret, vigeat in senatori-
bus discordia, in civibus luxus, in militibus igna-
via, in juvenibus otium: quis igitur non videt, vi-
rium hanc Remp. perdidisse? Item: Hic Sanctus
habuit Charitatem, insignis erat Humilitate, eni-
tuit Patientiâ, &c. Igitur virtute erat præditus.*

2. *Similitudine*, quando ex pluribus similibus
indubiis Conclusio inducitur. Ut : *Quis opti-
mus arborum fructus, nisi qui dulcissimus? Quod a-
strum primum, nisi quod clarissimum? Quanam
summa pulchritudo, nisi ea, in qua lineamenta om-
nia perfecto inter se ordine consentiunt? Quanam
igitur præstantissima virtutum, nisi Prudentia, cu-
jus inter ceteras & fructus suavissimi, & fulgor exi-
mius, & ordo perfectus? Notandum circa In-
ductionem, ea, quæ præmittuntur, ut ex
iis fiat applicatio in Conclusione, debere es-
se indubitata, & id, cui talia præmissa ap-
plicantur, debere ipsis esse simile.*

VIII. *Quid est Exemplum? Resp. Est In-
ductio imperfecta, qua ab uno simili aliud
simile particulare infertur. Ut: Servilius A-
hala, qui occiderat Spur. Melium, non est condem-
natus: neq; igitur Milo, qui Clodium, Melio [cele-
vatiorem, occidit, est morte mulctandus. Differt
Exemplum ab Inductione, quòd hæc ex
specie Genus, vel ex pluribus similibus aliud
simile; Exemplum verò ab unico simili a-
liud simile non genericum, sed particulare
inferat. Differt ab Enthymemate & Syll-
gismo*

Exemplum.

Sorites.

gismo, quia in his semper aliquid genericum præmittitur aut concluditur.

IX. Quid est *Sorites*? Resp. Est Argumentatio, quæ velut per gradus à multis coacervatis Propositionibus, quarum sequens semper præcedentis prædicatum, ultima verò primæ subjectum repetit, ad Conclusionem descendit. Clarè in exemplo. *Ciceroni industria peperit artem, ars aptitudinem ad promovendum bonum publicum, hac aptitudo communem estimationem, communis estimatio senatoriam & consularem dignitatem. Igitur Ciceroni industria peperit senatoriam & consularem dignitatem.* Cavendum in hac Argumentatione, nequa ipsius pars sit falsa, aut nitatur malo supposito, aut acceptione fallaci; alioquin prodibit falsa Conclusio, uti contingit in hac Argumentatione: *Peccatum non est, ubi non adest voluntas peccandi; voluntas peccandi non adest, ubi non est cognitio peccati; In plenè ebrio non est cognitio peccati. Igitur in plenè ebrio non est peccatum.* Aliud siquidem est, ebrium non actu peccare; aliud, in ipso non esse peccatum ebrietatis. Item in hac: *Bibliopola habet multos libros, eosq; saepe evolvit; Qui multos libros saepe evolvit, multum studet; qui multum studet, evadit doctus. Igitur Bibliopola evadit doctus.* Prima propositio malè accipit verbum *evolve* pro *lego*.

Dilemma.

X. Quid est *Dilemma*? Resp. Est Argumentatio, cujus prima propositio habet duas partes

partes contrarias, ita constitutas, ut, utram-
 cunque illarum concesseris, tenearis. In
 exemplo. Trajanus Imp. Christianos, ido-
 lorum contemptores, eo nomine impietatis
 arcessebat, & acerrimè persequeretur. Re-
 scripsit is Plinio Sec. Lib. 10. Epist. 98. *Con-
 quirendi non sunt: si deferantur, & arguantur, pu-
 niendi sunt.* Unde hoc Dilemmate Trajanus
 injustitiæ arguitur: *Vel impii sunt Christiani?
 vel non sunt impii? Si sunt impii, Imperatoris est cu-
 rare, ut conquirantur, ne impii tolerati noceant piis.
 Si non sunt impii, neq; cum deferuntur & arguan-
 tur, puniendi sunt, cum solo nomine impietatis pu-
 niantur. Itaq; injustum & iniquum est Trajani re-
 scriptum.* Est argumentatio, quam Tertull. in
 Apolog. c. 10. format his verbis: *O sententiam
 necessitate confusam! Negat inquirendos, ut in-
 nocentes, & mandat, puniendos, ut nocentes. Parcit,
 & sævit; dissimulat, & animadvertit. Quid temet-
 ipsum censurâ circumvenis? si damnas, cur non in-
 quiris? Si non inquiris, cur non & absolvis?* Sic Cic.
 pro Sex. Rosc. Amer. *Si Sex. Roscius patrem suum
 occidit, vel per se, vel per alios occidit? Non per se;
 quia tunc, cum occideretur Roma, ipse fuit America.
 Non per alios; quia nullos possunt adversarii profer-
 re, per quos parricidium patrârit. Igitur non ipse
 occidit patrem.* Et 4. Verr. n. 150.

XI. Quomodo solvi potest Dilemma ab ad-
 versario factum? Resp. Si bene sit factum, ut
 pars utraque primæ propositionis stringat,
 solvi non potest. Si verò malè sit factum, hoc
 est

est, si alterutra vel utraque pars sit captiosa, aut aliquid falso supponat, aut dubia pro certis afferat, diluitur detegendo captio- nem, vel falsitatem, vel infirmo partem dubiam, pro certa prolatam.

Epicherema.

XII. Quid est *Epicherema*? Resp. Est bre- vis Ratiocinatio, quæ unica propositione in- tegram Argumentationem in se complecti- tur, & æquat. Ut: *Filius audeat matrem per- cutere*? Æquivalet enim huic: *Impius est fi- lius, qui matrem audet percutere. Cajus filius au- det percutere matrem: Ergo Cajus filius est impius.*

Collectio.

XIII. Quid est *Collectio*? Resp. Est Argu- mentatio, quæ habet 5. partes. 1. Proposi- tionem, 2. Rationem propositionis, 3. Con- firmationem rationis, 4. Exornationem confirmationis, 5. Complexionem, quæ de- bet concordare & eadem esse cum Proposi- tione. Usus est Cicero tali argumentatione in *Catilinaria* 2. & 3. Prioris *Propositio* post breve Exordium est: *Utile est, Catilinam cum suis discessisse ex Urbe. Ratio.* Quia ip- sius focii magis erant in urbe timendi ob in- sidias, quàm extra urbem. *Confirmatio.* Fue- runt enim in urbe maximè flagitiosi, auda- ces, luxuriosi, obæerati. *Exornatio.* In cam- po verò non subsistet ista militum colluvies contra firmissimum robur ac præsidium. *Complexio,* unaque Peroratio. Accedit vigi- lantia Consulis cum auxilio deorum robori *Italiæ*, ut aded nihil sit timendum, sed utile,
Cati-

Catilinam cum suis discessisse. Posterioris *Propositio* : Hic dies supplicatione deorum est celebrandus. *Ratio*. Quia hodie Cicero Remp. servavit. *Confirmatio*. Nam consilio & industria conjurationem Catilinæ detexit, & extinxit. *Exornatio*. Fuit hæc Consulis industria singularis, quòd atrocissimam longè conjurationem sine sanguine civium extinxerit. *Complexio*, & simul Epilogus. Quare hic dies cum æterna Ciceronis Cos. memoria, tum supplicatione deorum est celebrandus. Ubi vides, Ciceronem primariam Argumentationem per totam orationem traducere, quod, sicut potest fieri per Collectionem, ita per Syllogismum aut aliam argumentationem. Si quis etiam velit adhibere Collectionem pro tota oratione, nihil obstabit, quò minus ipsius Rationem, Confirmationem, & Exornationem amplifcet per alias Argumentationes, quemadmodum indicavi, has verò dein dilatet per sequentes modos amplificandi partes Argumentationis, & quæcunque alia.

C A P U T XI.

De modis variandi argumentationes.

- I. **Q**uid curandum, ne Argumentationes tædium afferant auditoribus? Resp. Sicut

Sicut aliarum, ita hujus rei, fastidio medetur varietas. Orator auditores à se avertit, quando vel sæpius eadem, vel diversa eodem modo prolata ingerit.

II. Quibus modis variari potest Argumentatio? Resp. Pluribus, quorum præcipuos hinc adducam. 1. Non eadem perpetuò assumantur, ut in singulis argumentis non nisi Syllogismi, vel Enthymemata, &c. occurrant. Sicut enim ineptum est omnia argumenta ex eodem Loco oratorio petere velle, ita insulsum omnia eadem argumentationis specie, aut eodem dilatandi modo transfigere. Idcirco 2. mutantur etiam modi isti amplificandi. 3. Varietur ordo in dilatatione, ne hanc semper auspiceris à Majore, tunc ad ejus Rationem, deinceps ad Assumptionem, postmodum ad hujus Probationem, ac demum ad Complexionem procedas; sed studio nonnunquam dilatationem ab Assumptione, aliàs ab alia parte ordire, exemplo Ciceronis, quod Freigius monstrat. 4. Omittatur etiam quandoq; una pars Argumentationis, quæ minùs necessaria videbitur ad integritatem, aut ea certè breviter & velut neglectim afferatur, solùmq; tangatur. Quod supra circa Complexionem jam monui, aliquando necessarium esse. 5. Tot sunt modi variandi, quot sunt Figuræ celebriores; hæ enim faciunt, ut Argumentatio eadem non eadem esse appareat. Si argumenta-

gumentationes sunt propter suam soliditatem & vim velut ossa & nervi orationis, monstra nihilominus sunt, nisi alio amplificationis ornatu convestiantur, sicut natura corporis ossa, nervosque obtegit. Nihil magis displicet in oratione, quam sicca quædam & dialectica apertarum argumentationum continuatio. 6. Interdum Orator, quod simplici affirmatione posset exprimere, imperandi vel optandi modo enuntiat; communicatione, deliberatione, exclamatione, interrogatione, apostrophe, aliisque similibus Figuris utitur. 7. Denique variatur aliis aliisque modis transeundo ab una argumentatione, vel aliqua ejus parte, ad alteram, quamlibet diversimodè incipiendo. Pro quo adjungo

CAPUT XII.

De variis modis Transitionum.

I. **Q**uid intelligitur nomine Transitionis? Resp. Modus ab una parte orationis ad aliam eleganter pergendi, & præcedentem cum sequente aptè connectendi. Faceffit hæc res, incipientibus præsertim, non modicam difficultatem, quæ sola tamen si desit, oratio deturpatur, ut appareat instar muri, cujus lapides calce non copulantur. Plurimum ab Oratore abhorret jejuna ille

Transitio
quid.

F

schola-

scholarum ab una parte vel argumento transitus per numeros, oppositio objectionum & solutio, his & similibus formulis: *Sed dicit aliquis, &c. cui respondeo, &c. opponit alius, &c.* Produnt & illæ inopiam Oratoris, quando explanaturus aliquem locum S. Scripturæ dicit: *Quæ est hujus rei causa? Respondet hic vel ille S. Pater, &c.*

II. Habenturne aliqua præcepta certa circa has transitiones? Resp. Nulla: sed res tota pendet à lectione Oratorum, & cujusque ingenio, partes suæ orationis appositè conjungentis, ut artificiosè cohæreant.

Ejus formulæ.

III. Quæ sunt tamen formulæ Auctoris magis consuetæ? Resp. De his libellum edidit Ivarus Petradolphus. Aliquas habet Candidatus Rhetor. P. 1. Progymn. 3. de Chria, & P. 2. Progymn. 3. de Figur. Sentent. in fine, V. *Transitio*. Tyrocin. Eloq. L. 4. c. 6. Palatium Eloq. Exercit. 4. lect. 4. punct. 4. & 5. Du Cygne Explanat. Rhet. L. 1. c. 2. art. 6. Aliquos tales modos, cum Du Cygne ex Palat. Eloq. mutuatos hîc adscribo. 1. Orator interdum simpliciter & ingenuè rem proponit. Cic. pro Mur. n. 54. *Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitûs criminibus.* 2. Brevi repetitione priorum sequentia connectit. Pro Lege Man. n. 20. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Et n. 27. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine*

gnitudine periculosum. Restat, ut de Imperatore ad illud bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur. 3. Simplici conclusione, præsertim cùm ad finem properat. Pro Mur. n. 86. Quæ cùm ita sint, Judices, primum Reip. causa, qua, &c. 4. Simpliciter proponit causæ fiduciâ, quæ ab aliis velut firmissima argumenta prolata sunt. Pro Mil. n. 7. Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe, &c. 5. Causam reddit, cur ad alia festinet. Pro Mur. n. 7. Sed me non minùs hominis sapientissimi Serv. Sulpitii conquestio, quàm Catonis accusatio commovebat. 6. Conclusionem viam facit ad sequentia. Ibid. n. 14. Nihil igitur in vitam Murenæ dici potest? Nihil, inquam, omnino. Quo constituto facilius est mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accusationis. 7. Per Præteritionem. Ibid. n. 18. Omittamus igitur de genere dicere, cujus est magna in utroq; dignitas: videamus cætera. 8. Per Concessionem. Ibid. Sed hæc sanè paria sint omnia; sit par forensis opera militari; sit par militari suffragatio urbana; Quid? In ipsa Prætura nihilne existimas inter tuam & illius sortem interfuisse? 9. Rogat, ne sibi dicenti fides habeatur, nisi rem ad oculum demonstraret. Pro Mil. n. 6. & pro Rosc. Amer. n. 8. 10. Per Anteoccupationem id affert ultrò, quod ab alio posset obiici. Pro Mil. n. 15. Etenim Cn. Pompeius rogatione sua & dere, &

de causa iudicavit: tulit enim de cade, qua in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quaeretur, II. Una vox repetita plures rationes connectit. Ibid. 38. Quem si interficere voluisset, quanta quoties occasiones, quam praeclara fuerunt? Potuitne, cum domum ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, iure se ulcisci? Potuitne cive egregio & viro fortissimo P. Sextio, collega suo, vulnerato? Potuitne Fabricio, &c. 12. Re una probata profiteretur expeditum deinceps cursum fore. Ibid. n. 48. Respiravi, liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse. Rursus n. 56. excitat suos auditores: Age nunc, &c. 13. Post majores rationes allatas minores coacervat. Ibid. n. 57. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui saepe spoliante jani & exultantem evertit & perculit ab abjecto, adde inscitiam praeferri, poti, oscitantis Ducis, qui, &c. 14. Seipsum interrogat, velut dubius, an nihil superfit, an rei nullius sit oblitus? Quid restat? &c. Nihilne eorum, quae promissa sunt, praeterii? &c. 15. Per incrementum, dicendo, quae dicta sunt, levia esse comparatione mox subjungendorum. Philip. 2. n. 20. Sed hoc non hujus temporis: ad majora veniamus. Et n. 78. Sed nimis multa de nugis, ad majora veniamus. Et n. 25. Sed haec vetera, illud verò recens. 16. Post interposita quaedam ad priora redit. Ib. n. 101. Sed ad iter Italiamque redeamus. 17. Committit aliquid

aliquid auditorum memoriae. Pro Mil. n. 97. *Mandate hoc memoria, &c.* Et post quaedam interjecta eadem resumit. Vel ait, se non probandi, sed renovandae memoriae causam quidpiam attingere. Phil. 2. n. 57. *Scio, me in rebus celebratissimis sermone omnium versari, eaque, quae dico, dicturusque sum, notiora omnibus esse, &c. notabo tamen singulas res, &c.* Vel festinationem praefert, ne majora sibi excidant. Ibid. n. 84. *Sed ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcherrimam transfiliat oratio.* Vel memoriam aliorum suscitatur. Ibid. n. 115. *Recordare igitur illum, &c.* 18. Poenitentia quasi ducitur, quod uni rei, neglectis melioribus, diutius inhaerit. 2. Catil. n. 71. *Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur, & de eo hoste, qui jam fateatur, se esse hostem, & de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus?* 19. In longiore sermone attentionem renovat; quod pluribus modis fieri potest. 20. Per Allegoriam. Pro Sextio n. 13. *Verum haec ita praetereamus, ut tamen inveniunt & respectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipse ad sese jamdudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam, contento studio cursusque veniamus.* 21. Per Comparationem. Philip. 7. *Neque verò illa pax cum Antonio turpior, quam periculiosior censeretur.* 22. Per aliquid consequens ex praecedente. *Quae cum sint gravia, illud acerbissimum, &c.* 23. Per Dubitationem. *Quid nunc de virtutis honestate dicam? &c.* 24.

Per

Per Communicationem. *Jam quero ex vobis, sine equum, &c.* 25. Per Apostrophem. *Vos appello, qui per scientiam ad honores evasistis, malene locatos labores censeatis?* 26. Per Ironiam. Pro Rosc. Amer. *Cur igitur manu misit? metuebat scilicet, &c.* 27. Per Correctionem. *Sed quid hac ditius disputo, cum hac luce clariora videantur. Itaq; ad aliud progredior.* 28. Sunt quaedam particulae Transitionibus aptae, ut: *Jam vero, Quid? quod, Etenim, Atenim, Equidem,* & similes. 29. Praeterea, quod supra c. 10. docui, alia occasione, tot sunt modi transeundi, quot sunt celebriores Figurae sententiarum. 30. Sed omnium praestantissima Transitiō est, quae non ex aliorum exemplis quaeritur, sed in sua cuique materia nascitur; quando scilicet adjuvante ingenio, cui plus hac in re tribuendum, praecedentia occasionem praebent, sequentia connectendi, & partes orationis ita artificiosè committuntur, ut commissurae vix appareant, sed prior pars posteriorem quasi necessariò post se trahere videatur. Si quis tamen plures adhuc modos desiderat, residuos 35. Palat; Eloq. l. c. punct. 5. & alios reliqui supra nominati subministrabunt: omnes describere proposita parvitas hujus libelli non permittebat.

CAPUT XIII.

De Amplificatione verborum in specie, & imprimis de ipsius natura, verbisq; ad eam idoneis.

I. IN quo consistit Amplificatio verborum, In quo consistat amplificatio verborum.
 quam c. 9. n. 2. definivi? Resp. Ornatus dilatationis, de quo ibi dicitur, consistit tum in verbis ipsis, secundum se spectatis, tum in Figuris celebrioribus, quæ possunt adhiberi.

II. Quæ verba dilatationem ornant? Verba ad eam idonea,
 Resp. Itidem fusè hanc rem pertractat Palat. Eloq. Exercit. 4. lect. 5. cujus præcipua capita hîc tangam, ne quid desideretur. Itaq; ornant verba I. Illustria, non tamen ab usu communi abhorrentia, qualia sunt gravitate quadam delecta, translata, superlativa, per congeriem verborum & sententiarum, ferè idem significantium, congesta, rem, de qua sermo est, imitantia. Illustria habet Cic. pro Planc. n. 99. *O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cum hic in me incidit, complexus est, conspersitq; lacrimis, nec loqui præ merore potuit! ô rem cum auditu crudelem, tum visu nefariam, &c.* Translata pro Mil. n. 63. *Quid odisset Clodium Milo, segetem ac materiam gloriae sua?* Superlata. Pro Marcello n. 8. *Domuisti gentes*

gentes immanitate barbaras, multitudine innumera-
rabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abun-
dantes. Per Congeriem. Pro Mil. n. 34. Tu P.
Clodii cruentum cadaver ejecisti domo; tu in publi-
cum ejecisti; tu spoliatum imaginibus, exequiis, pom-
pis, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum
nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Imitan-
tia. Virgil. Quàm multa in tectis crepitans salit
horrida grando. 2. Epitheta splendida. Pro Le-
ge Man. Quanquam mihi semper frequens conspe-
ctus vester multò jucundissimus, hic autem locus ad
agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus vi-
sus est. Sic etiam: Vir singulari virtute, eximiâ
prudentiâ, civis optimus, &c. 3. Verba plus si-
gnificantia, ut: Labes civitatis, pestis Reip. &c.
Cic. in Verrem: Non enim furem, sed raptorem;
non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae; non
sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq; ; non
sicarium, sed crudelissimum carnificem civium, so-
ciorumq; in vestrum Judicium adduximus. 4. Sy-
nonymia, seu res eadē pluribus verbis, propè
idem significantibus, diversimodè inculcata.
Cic. 2. Catil. Catilinam furentem audaciâ, scelus
anhelantem, pestem patriae nefariè molientem, vobis
atq; huic urbi ferrum flammâq; miritantem, ex
urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredien-
tem urbe profecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, eru-
pit. Dixi modò: propè idem significantibus; Pue-
rile enim est, penitus idem significantia con-
gerere, v. g. mare, pontus, equor. 5. Verba gra-
viora & consonantiora. Sic gravius est Cle-
mentia

mentia, quàm Lenitas; latro, prado, raptor, quàm fur. Vulnerare, ferire, quàm percutere, &c. Consonantiora sunt superlativa quàm absoluta; plurali, quàm singulari numero proiata; Verbalia, quàm absoluta, ut *domina, dominatrix*; composita quàm simplicia; longiora quàm brevia. 6. Periphrasis, dicendo pluribus verbis, quod paucis posset efferri. Ut: *Peccâsti: Dic: Quânam abreptus es audaciâ, ut immensam Dei Majestatem, fontem ac largitorem bonorum omnium Deum turpissimis flagitiis ad iracundiam irritare, atq; ad ultionem provocare non dubitaveris?* 7. Figuræ illustriores sententiarum, per figuras verborum excultæ, ut per Antitheses, Repetitiones, Conduplicationes, &c. 8. Periodi, ubi illæ congruunt.

III. In quo consistit dilatatio? Resp. Non in puerili garrulitate, non in synonymorum inani cumulo, non denique in rei alicujus ultra verum exaggeratione, sed in prudenti & artificiosa partium alicujus totius explicatione. Re ipsa enim omnis amplificatio est quædam distributio totius in partes, seu partium primariarum explicatio. Sic in amplificando modò distribuimus Genus in Species, aliàs quædam alia in Adjuncta, Consequentia, Causas, Effecta, &c. tanquam in aliquas partes. Propositio quævis pro partibus habet verba & res, quæ illius objectum sunt, aut illam componunt. Partes argumentationis sunt ipsius propositiones.

Quæ

Res verbis
potiores.

Quæ partim jam exposita sunt c. 3. de Partium Enumeratione, à n. 15. & c. 9. n. 6. partim mox & ulterius l. 3. c. 3. cum de dilata-
tione propositionis in periodo agetur, elucida-
buntur.

CAPUT XIV.

De Amplificatione per locos Rhetoricos & Figuras.

I. **Q**ua ratione partes argumentationum dilatantur? Resp. Quando non agitur de sola explicatione fusiore alicujus propositionis, sed de rebus ipsis, ac nominatim de argumentis, hæc dixi initio dilatanda esse per Argumentationes; istarum verò singulas successivè partes necessarias per modos amplificandi. Itaque fieri hoc potest nunc per Locos oratorios Figuris exornatos; aliquando per solas Figuras; aliàs per modos alios dilatandi hîc subsequentes.

Loci Rhet.
aptiores.

II. Quinam Loci Rhetorici ad hoc sunt aptiores? Resp. Definitiones conglobatæ, seu plures ejusdem rei descriptiones simul positæ, Causæ, Effecta, Antecedentia, Consequentia, Genus, Forma, Similitudo, Contraria, Comparatio, S. Scriptura, SS. Patres, Historiæ, Apologi, Parabolæ, Adagia, Eruditio, maximè verò Adjuncta & Enumeratio partium, cum aliis plerisque. Modum dilatan-

dilatandi per Locos oratorios exemplis declarat Candidatus Rhet. Progymn. 4. de Amplif. sect. 3. ad quem, utpote cuius obvium, te remitto; neque enim opus arbitrator, novis exemplis, per singulos Locos oratorios ductis, hunc librum frustra densiorem reddere.

III. Quomodo Amplificatio fit per Figuras? Resp. Etiam in hoc te manuducet modo laudatus liber, ex cuius exemplis l. c. sect. 2. c. 2. allatis, facile disces reliquas figuras, quas ipse præterit, eodem modo impendere. Quia tamen ibi non docet argumentationes argumentorum dilatare (quavis ea, quæ affert, etiam his congruant) unicam dilatationem talem exempli causâ mox proponam.

IV. Quomodo supra dictum argumentationis exemplum potest dilatari per Locos oratorios & Figuras? Resp. Ad probandam hanc Propositionem: *Qui sæpe relabitur in peccata mort. aliquando inopinatò non surget*; attuli pro primo argumento: *Quò frequentiores sunt lapsus, eò gravius Deus irritatur*, hanc argumentationem: *Cùm Deus quolibet peccato irritetur, tantò magis irritabitur, quantò infidelitas gratiæ exhibita fuit major. Tantò hæc est major, quantò frequentior. Igitur quantò infidelitas Gratiæ exhibita frequentior fuit, tantò magis Deus irritabitur.* Major propositio habet duas partes; *Deus quolibet peccato irritatur. Et: magis irritatur à majore infidelitate*

Figuræ.

Paradigma.

litate

litate Gratia exhibita. Sic jam dilatatur. *Majoris pars.* Infinite aduersum nos misericors Deus, non contentus innumerabilibus & maximis donis, quibus nos antehac cumulavit, imensa etiam in futurum nobis destinat; ad ea possidenda suavissime invitatur, quin & aliis beneficiis nolentes illam felicissimam possessionem adire, quodammodo sollicitatur, & amica hujusmodi vi, propè dixerim, compellit intrare. Hæc beneficia, siue concedentis dignitas, siue indignitas accipientis spectetur, cum in se omnia sint præstantissima, tamen, quod inter illa præcipuum à nobis aestimari meretur, illud est, quod fragilitatis nostræ misertus ita promittat, ut securos de accipiendo reddat, ita invitet ac urgeat, ut necessaria ad propositum bonum obtinendum media quam largissime suppeditet, gratias videlicet innumeras, quibus simul incitemur, simul adjuvemur. Pro ista munificentia quid vicissim à nobis exigit? quid exspectat? Ut difficillimarum quarumcunque virtutum exercitio gratum summo benefactori animum exhibeamus? Non tantum expetit: quamvis, si majora etiam postularet, nihil beneficiorum meritis majus nobis imponeret. An ut ab omni rerum terrenarum amore abstracti animum ipsi soli affigamus; corpus, facultates, & bona omnia, ab ipso profecta, in gratitudinis signum imolemus? jam acceptis

ceptis, & spebus in futurum cæteris spoliandi, si secus fecerimus? Quid etiam hoc æquius & exposceret ipse, & nos tantis muneribus obstrictissimi ultro præstare deberemus? Verùm non hucusque gratitudinis vices benignissimus bonorum Largitor extensas voluit. Audite, quàm facile aliquid desideret. Possérne minus aliquid petere, quàm ne concessis Gratiis in ipsius contumeliam abutamur, ut in mandatorum, in se planè æquorum, & per ipsius auxilia observatu faciliùm custodiâ nostram ipsi fidelitatem pro nostra suprema felicitate, inde nascitura, demonstramus? Jam si debitorum & Benefactoris immemores, donis in contemptum largientis abutamur; si mandatorum sanctissimorum impudenti transgressione nos infideles exhibeamus; quis dubitet, quin tanta indignitate graviter commoveatur atque irritetur? *Majoris 2. pars.* Atverò si ratione duce ipsimet, qui delinquimus, meritò censemus, indignissimè fieri, ut tantus benefactor vel levi aliqua ingratitude aut infidelitate offendatur, quid erit, vel nobis arbitris, si gravissimè lædere, si perditè infideles eidem esse non dubitemus? an non graviùs idcirco irritandum judicabimus? *Minor.* Quò majora sunt nomina, quibus alteri obligamur, eò acerbior quævis offensa jure habetur. Læditur profusus benefactor unica etiam infidelita-

te , tametsi minimè gravi , si ab ingrato cli-
ente proficiscatur. Graviùs alterâ movetur,
eâmque vel ideo , quòd sit iterata , fert
indigniùs. Quid si infidelitas sæpius recur-
rat ? quid si contemptus centies repetatur ?
quid si peccantis injuriæ , quemadmodum
fieri consuevit , indies majores atque atro-
ciores evadant ? Nemo ita cæcus , qui non
arbitretur , si leves quidem , sed multiplices,
supremæ Majestatis sumique benefactoris
contemptus non vulgarem indignationem
promerentur , intolerabilem eidem fore of-
fensam , iram concepturum imensam , si con-
temptus hujusmodi & plurimi sint , & cum
injuriõsa Dei offensa singuli conjuncti , &
infidelitas , sæpissimè renovata , non circa
minima dona & mandata , sed circa pretio-
sissima neglecta beneficia , & gravissimas le-
ges violatas versetur. Finge terreni Princi-
pis servum vilissimum à suo domino citra
meritum innumeris favoribus fuisse hono-
raturum , hisque ultrò sæpius oblatis ad fide-
le servitium provocatum. Si hæc dona re-
pudiet , ea contemptim habeat , iis in dede-
cus Principis abutatur , quâsque in gratitu-
dinis argumentum leges observare jussus e-
rat , temerè transgrediatur , atque infidelis ,
non semel iterumque , sed centies depre-
hendatur : an non Principem tantò acer-
biùs sensurum putas , quantò beneficia ma-
jora contulit ? Nunquid eò vehementiùs ad-
versus

versus ingratum concitabitur, quò crebriùs expertus est infidelem? *Conclusio.* Aut fortè folius Dei Gratiae obsequium non merentur? Num istarum tantùm neglectus injuriam non efficit? An frequentissimè in ipsius contemptum usurpatæ iram non provocabunt? Tot tantasque infidelitates ac contumelias sapientissimus Deus solus non sentiet? justissimus non irascetur, accendetur, exasperabitur? &c. *Argumentum istud cum sequente hoc vel simili modo connecte:* Quis nisi infanus hoc sibi imaginetur? Quodsi verò ad iracundiam ipsum æquissimo jure concitant, etiam ad pœnas instigabunt. Tum eodem modo sequentis argumenti argumentationem amplifica, ejusque Assumptioni probationem adde, sicut in hoc priore intextam aliquam notabis.

CAPUT XV.

De Thesi, Hypothesi, & Loco communi.

I. **Q**uis est modus amplificandi per *Thesin* & *Hypothesin*? Resp. Suppositis hîc illis, quæ de utraque suprâ dicta sunt, facilis & copiosus est modus dilatandi, si *Hypothesin* aliquam, seu propositionem particularem traducamus ad *Thesin*, seu propositionem

Thesis & Hypothesis.

tionem

tionem universalem, & postquam de genere fusiùs diximus, rursus redeamus ad Hypothesin, eamque breviter dilatemus cum respectu ad dicta in Amplificatione Thesis. V. G. Sermo est de virtute, vitio, arte, aut alia quacunque re particulari. Transferatur sermo ad virtutem, vitium, artem, &c. in genere. Postmodum, quæ de genere dicta sunt, applicentur huic rei singulari, de qua agitur. Candidatus Rhet. Progymn. 5. sequentem propositionem hoc modo dilatat, cuius synopsis refero: *Gratior est puerorum institutio, quàm adolescentium.* Istam Hypothesin dilatat per sequentem Thesis: *Omnia dum adhuc parva sunt, oblectant; quando majora evaserunt, vilescunt.* Hanc Thesis probat inductâ Enumeratione quorundam animalium: tum verò, quæ pro Thesis attulit, suæ Hypothesi applicat. Similiter hujus propositionis: *Curandum adolescentibus, ut excellent in arte oratoria.* Thesis erit: *In quavis arte excellentes maximi semper estimabantur.* Probari potest per enumerationem variorum, qui in aliis artibus vel scientiis excellentes honorati sunt. Ut: De Homero post mortem tres civitates disceptârunt, cuius earum tantus Poëta civis fuerit, cum quævis ex eo sibi ornamentum ambiverit. Epicteti lampas fictilis post ejus obitum ingenti pretio empta est, quòd ad eam nocturnis lucubrationibus suos libros scripserit. In obsidione Syracusarum
man-

mandatum est militi, ut urbe potitus parceret Archimedi celebri Mathematico, &c. Tum denuo ad Artem oratoriam revertendo dicatur, quantò major ex hac arte gloria sit speranda, cùm ea sola animis dominetur.

II. Videntur esse inanis garrulitas, quæ ita de genere producuntur. Resp. Nullo modo. Quæ de genere aut toto dicuntur, affirmantur etiam de specie aut parte sub eo contenta. Accedit, quòd sicut genus latius per se patet, quàm species, latiore quoque amplificationi campum aperiat. Denique oratio, quæ latius patet, ornatior est, & gratior auditori. Verum nihilominus est, non commorandum diutiùs in explicanda thesi, sed redeundum ad hypothesin, cujus solius expositio utilis est auditori, ne hic tamdiu in contemplandis exterioribus domùs detineatur, donec otium non supersit ejus pretiosiora penetralia introspectendi. Hanc tractationem particularium ait Granat. L. 2. Rhet. c. 12. esse totius concionis scopum, ad quem omnia referenda sunt, & hanc ad mores applicationem non solùm peracta argumentatione faciendam, sed quoties occasio se obtulerit.

III. Quid est *Locus communis*? Resp. Est *Locus communis.* oratio laudes aut vituperium alicujus exaggerans. Per vocem *Oratio* hîc non intelligitur integra oratio, sed tantùm ejus pars. Di-

G

citur

citur iste modus amplificandi *Locus communis*, quòd habeat fontes quosdam communes, qui in omni laude vel vituperio possunt habere locum.

IV. Quas partes habet? Resp. Sex, quæ sex aliis possunt expoliri ac terminari. 1. *A Contrario*. Sic si de aliqua virtute agatur, dici potest, quàm vitium contrarium sit perniciosum, indecens, &c. Si de vitio, quàm virtus opposita sit utilis, decora, &c: & sic in aliis partibus; semper rationem habendo seu respiciendo eum, qui laudatur vel vituperatur. 2. *Ab Expositione*, referre licet, non ad docendum (cùm ponatur res ex reliqua oratione jam constare) sed ad exorandum, quid ex tali virtute egerit. 3. *Comparatione* hujus virtutis cum aliis ornamentis ejus, qui laudatur. 4. *A sententia*, seu consilio, quo hanc virtutem exercuit. 5. *A digressione conjecturali*, qualis in aliis virtutibus fuerit, qui in hac ita excelluit. 6. *Ab Affectu*, illo scilicet urgendo, quem oratio excitare conatur: v. g. Amore, vel in vitis Odio, Æmulatione, vel Invidia, &c. His sex partibus ad sermonem magis excolendum, & auditores ulterius impellendos, addi possunt ex sequentibus aliqui vel omnes. 1. *Legitimum*, nihil divinis & humanis Legibus, nihil exemplis esse conformius, 2. *Utile*, 3. *Honestum*, 4. *Facile*, 5. *Jucundum*, 6. *Eventurum*, h. e. quid futurum sit, si hoc agatur. v. Ubi

v. Ubi maximè opportunus est Locus communis? Resp. In iis laudibus, aut vituperiis, ubi præter unam vel alteram actionem laudandi vix aliquid notum est. V. G. Laudare oportet Martyrem, de quo nihil constat, nisi quòd Romæ passus sit sub Nerone. Paradigma talis amplificationis habet paulò alio modo Candidatus Rhet. Progymn. 6. de feditioso.

CAPUT XVI.

De Chria.

I. **Q**uid est Chria? Resp. Est amplificatio facti, vel dicti alicujus, vel facti cum dicto quodam conjuncti, certis partibus comprehensa. Chria quid.

II. Quotuplex est Chria? Resp. Triplex. *Activa*, quæ factum aliquod; *Verbalis*, quæ sententiam; *Mixta*, quæ sententiam cum facto aliquo conjunctam excolit & amplificat. Quotuplex.

III. Quot partes habet Chria? Resp. Octo. 1. Est *Laus* illius, qui aliquid fecit, dixit, vel simul fecit & dixit. 2. *Explicatio* ornata talis facti vel dicti. 3. *Causa* una vel multiplex facti vel dicti. 4. *Contrarium* illi, de quo agitur. 5. *Similitudo* idonea. 6. *Exemplum* unum vel plura, in eadem re, in qua tale dictum aut factum versatur. 7. *Testimonium Veterum*, sive sensus auctorum, seu sacrorum Ejus partes

seu profanorum, circa eandem rem. 8. *Epilogus*, sive brevis conclusio talis amplificatio-
nis, ubi nonnunquam, si materia scilicet id
ferat, locus esse potest Affectibus.

In eadem ob-
servanda.

IV. Quid in Chria observandum? Resp.
Ne primæ 2. partes in idem recidant, id
est, ne posterior pars in priore jam contine-
atur. Pro quo vitando præcepta per exem-
pla tradit Candidatus Rhet. Progymn. 3.
2. Singulæ partes ita cohæreant ac conne-
ctantur, ut non tantum una post alteram po-
natur, sed ipse orationis contextus sequen-
tem partem necessaria velut serie dictionis
post se trahat, vel certè apto quodam nexu
posterior ad priorem referatur. Formulas
nectendi Chriæ partes tradit modò cit. liber.
3. Per Causam hîc intelligitur una, quæ-
cunque congruat, ex illis, quas explicavi
L. I. c. 3. n. 33. & seq.

Ubi idonea-

v. In quo genere orationum adhiberi po-
test hic modus amplificandi? Resp. Præci-
puè in Exornativo; quamvis etiam aliquæ
ipsius partes in Deliberativo possint locum
habere. Plures pro amplificatione sumi pos-
sunt in orationibus, quæ sine argumen-
tatione sunt, quàm in aliis, quarum argu-
menta primò per argumentationes exten-
duntur.

VI. Si quis hoc modo velit uti, sùntne
omnes istæ 8. partes necessariae? Resp. Neu-
tquam; sed arbitrarium cuivis est, assume-

re illas, quæ magis utiles fore videbuntur. Neque ordo supra positus ita necessarius est, ut non possint partes aliter collocari. Imò varietatis gratiâ, sicut non semper una dilatandi methodus est usurpanda, ita si quis Chriâ sæpius uti vellet, prodesset & in partibus assumendis & in earum ordine vi-ces mutare.

CAPUT XVII.

De Historiis & Eruditionibus

I. **N**UM etiam istis usus est in Amplifica- Historiæ.
 tione? Resp. Attendendum ad ingenium Auditorum, an ament historias & eruditiones, orationibus imixtas. Sunt regiones & urbes quædam, in quibus historiæ in orationibus, præsertim sacris, non admittuntur. Aliis contrâ sine his oratio nimis arida videtur. Rudiori populo utiliter historiæ proferuntur, quia ferè facilius capit, retinet, ac sequitur doctrinas istis confirmatas. Consultissimum erit hac in re locorum consuetudinem & auditorum propensionem discere, seque illi conformare. Cæterum utilitas historiarum inde maximè elucet, quòd ad eas audiendas humana curiositas suapte natura ducatur, dum interim licet oratori per eas, velut vivam morum picturam, liberiùs instillare quasdam veritates, &

Quales in oratione.

& in aliis laudare vel carpere, quod in se argui auditor minùs æquo animo ferret. In aliorum exemplis suos mores spectabit, tangetur occultè, timebit similem ruinam, sperabit veniam, seque perculsum sentiet, dum soli voluptati auditùs indulgere cogitabat.

II. Cujusmodi debent esse Historiæ, quæ in orationem introducuntur? Resp. 1. Probatissimæ ab auctoritate, & quæ veritatis speciem per se referant; indecens enim est veritatem falsis aut dubiis velle confirmare. Ut jam non dicam, quantum dubia aut incredibilia sacri oratoris existimationi derogent. 2. Paucae sint in eadem concione. 3. Appositissimè convenient argumento confirmando. 4. In iis recensendis observentur quatuor virtutes narrationis infra tradendæ, videlicet: Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Suavitas. 5. Una res non nisi semel narretur. 6. Si historia plures partes & eventus habet, omissis reliquis id solum afferatur, quod facit ad propositi confirmationem. 7. Etiam illi, qui aliàs ab historiis abhorrent, libenter audiunt ex S. Scriptura depromptas, si breviter allegentur, cum ferè pleræque notæ sint, & si argumento bene concordent. 8. Fabularum moralium narratio rara sit, nec nisi in loco, aut coram auditoribus, ubi illæ non ingratae sunt. 9. Parùm gratum est promittere, nos dicta per aliquam historiam, in fine proponendam,
con-

confirmaturos. 10. Prosopopæiæ quoque in
iis occurrentes sint breves, & plenæ sen-
tentiis.

III. Quid Eruditionis nomine venit? *Eruditiones.*

Resp. Ea omnia, quæ nec historiæ sunt,
nec doctrinæ, sed doctrinis vel inferen-
dis, vel confirmandis, vel exornandis oc-
casionem præbent. Huc igitur spectant
Symbola, Emblemata, Lemmata, Hie-
roglyphica, Ænigmata; Dicta ingeniosa,
arguta, festiva; Apologi; miranda natu-
ræ & artis, cujusmodi sunt proprietates
fluminum, regionum, montium, metal-
lorum, plantarum, gemmarum, anima-
lium, astrorum, & mille hujusmodi alia,
quibus clarissimos Oratores, ipsum etiam
Ciceronem, cum laude atque elegantia,
ufos fuisse videmus. Pleni sunt plurimi
libri talibus Eruditionibus, ex quibus
meliores adnotasse, & quem usum, aut
qua occasione habere possint, prævidisse at-
que adscripsisse profuerit, præsertim cogi-
tationes ingeniosiores.

IV. Quid denique circa Amplificatio-
nem animadvertendum? Resp. Plures alii
modi ab aliis traduntur, speciatim à P.
Schvvertfer in libello de hoc argumento e-
dito. Sed isti possunt sufficere consideran-
ti, & in libris versato. Qui noverit To-
tum in partes distribuere, & cuivis parti
pro-

propria explicare, habebit præcipuum hæc in re negotium confectum. Si quis plura exempla desiderat, consulat tum alios, tum P. Nic. Caussini Eloquentiam sacr. & hum. qui ad finem L. 5. ordine Alphabet. varias elegantiores Ciceronis amplificationes indicat. Ego verò mihi alium adhuc fontem dilatationis uberrimum, L. 6. c. 2. & 3. aperiendum, reservo, ubi de Maggiore & Minore bono tractabitur.



LIB.